DE

AGRO ET VINO FALERNO.

SCRIPSIT

CAROLUS FRIDERICUS WEBER
PROFESSOR MARBURGENSIS.

Cum tabula geographica.

MARBURGI.
SUMTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI.
MDCCCLV



Aug. per Baetic
proc(urator) ad Kal(endas) vit(...) veg(etandas): Inschr. v. Antequera Bul. Mon. Ges. 1860, 616 (cf. Mommsen Inf. n. 7)



DISSERTATIO

DE

AGRO ET VINO FALERNO.

SCRIPSIT

Friedrich
CAROLUS FRIDERICUS WEBER
PROFESSOR MARBURGENSIS.



Addita est tabula geographica.

MARBURGI.
SUMTIBUS N. G. ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI.
MDCCCLV.

VIRO


EXCELLENTISSIMO

HUMANISSIMO BENEVOLENTISSIMO

HERMANNO KOCH

A CONSILIIS INTIMIS PRINCIPIS ELECTORALIS

NUNC EMERITO.



DISSERTATIO

DE

AGRO ET VINO FALERNO.

Inter vina Italiae, veteribus Romanis nota, quorum genera quinquaginta amplius fuisse Plinius[1]) auctor est, unum excellit virtute nobilissimum, Falernum, a scriptoribus et poetis, inprimis ab Horatio et Martiale, saepissime commemoratum laudibusque insignite celebratum. Nihilominus ejus origo et cultura et indoles nobis non satis sunt cognitae, immo ne locus quidem, ubi natum fuisse dicitur; quam ob rem operae pretium esse videtur ea, quae antiquitatis monumenta de agro et vino Falerno posteris tradiderunt, in unum colligere atque illustrare[2]), ut, quorum id scire interest, naturam optimi vini vel ex commemoratione apud alios facta comprehendere atque intelligere, vel etiam, quibus tam beatis esse illudque nectar ducere licet, ex comparatione instituta novi Falerni, quale nunc bibitur, cum vetere, quale antiquitus describitur, ipsi sentire et aestimare possint. Prius de loco, quo ortum fuerit vinum Falernum, disseratur.

---

1) H. N. XIV, 11, s. 13, 87. *Subit mentem, cum sint genera nobilia, quae proprie vini intelligi possint LXXX fere in toto orbe, duas partes ex hoc numero Italiae esse.* In elencho libri XIV idem numerat vina generosa L, transmarina XXXVIII, vini salsi genera VII, dulcium XVII, secundarii vini III, ficticii genera LXVI et prodigiosi XII; cf. et XIV, 22, s. 29, 150, ubi potus gepera CLXXXXV et specierum paene duplicem esse numerum dicit. Vina Italiae recensent Plin. H. N. XIV, 6, 8 et XXIII, 1, Martial. XIII, 109 sqq. et Athenaeus I, 48.

2) Nemodum de vino Falerno uberius disseruit; plurima contulit Camill. Peregrinus in Dissert. de Campania felice in Graev. et Burm. Thesaur. Antiq. Hist. Italiae T. IX P. II; pauca habet *Car. Stephanus* in Vineto (Paris. 1537) f. 70, b; *Andr. Baccius* in libro de naturali vinorum historia (Romae 1596) V, p. 208—240 (cujus verba Wüstemanno humanissimo debemus) et *Phil. Jac. Sachs* *Ἀμπελογραφία* (Lips. 1661) p. 425 sq.

Particula prior.

De agro Falerno.

Vocabulum, quo ager ille Campanus significatur, latine *Falernus* vel *Falerinus*[1]), graece Φάλερνος[2]), Φαλερῖνος[3]), Φαλερνίτης[4]), Φαλερνῖτις[5]) dicitur, sed unde originem habeat, inter viros doctos non constat. Primus eo usus est apud Graecos Polybius[6]); ex Latinis autem nisi forte poeta[7]) anonymus, qui inter annos DCXXXIII et DCLXV p. U. c. floruisse videtur, certe M. Terentius Varro[8]) et Val. Catullus[9]) Falerni vini primam fecerunt mentionem. Et *Falernum vinum vocatum* esse *a Falerna regione Campaniae, ubi optima vina nascantur*, dicit Isidorus[10]); unde vero nomen *Falerni* ortum sit, non addidit. Nonnulli[11]) dixerunt v. *Falerni* ducendum esse a *Falisca* sive *Faleriis*, (Φαλέριοι[12]) sive Φαλέριον[13])) oppido Etruriae, quod Halesus condidisse fertur[14]), ita ut vocabulum repetere possis ab *Haleso*[15]); et sane docent Etruscos, imperio duodecim urbium usos, quarum una fuisset *Falerii*[16]), in Campania duodecim constituisse[17]) urbes earumque

---

1) Complures sunt formae similes, quas distinguunt, *Falerionensis* sive *Fallerionensis* (Lib. Colon. I p. 227 Agrim., ubi Cod. Erf. *Falerianensis* et Palat. *Falernensis*, et II p. 256), quod repetunt a Falerione oppido Piceni (cf. Gruter. Inscr. p. 66, 7 et Hagenbuch ad Orell. Inscr. nr. 3118 p. 37), et *Faleriensis* (Gruter. p. 1081, 2 et Orelli nr. 3118) sive *Falariensis* (Plin. H. N. III, 13, s. 18, 111) ab eodem oppido Piceni, cui et nomen Falerium sive Falarium erat (quam ob rem apud Appian. Civ. I, 47 pro *Φάλερνον ὄρος* scribendum est *Φαλέριον ὄρος*); praeterea *Falerinus* sive *Faliscus* a Faleriis (Liv. V, 10, 2) sive Aequo Falisco et *Falernus* ab agro Campano. Quod discrimen inter *Falerinum* et *Falernum* ut servetur, apud Athenaeum I, 48 quatuor locis pro *Φαλερῖνον* scribunt *Φάλερνον*, sed frustra, quum *Falerinum* antiquior sit forma pro *Falerno*, quarum illa in usu erat vel Diocletiani aetate; cf. Edict. ejus de pretiis c. II.

2) Polyb. III, 90, 10; Dionys. Hal. Fragm. ed. Mai p. 35 Fcf.; Strabo V, 3, 6; Joseph. Ant. Jud. XIII, 9, 2.

3) Dionys. Hal. I, 37 et Athenae. I, 48 (quater).

4) Athenae. I, 59, in Codd.

5) Diodor. Sic. XX, 90, ubi Wessel. correxit corruptum *φαλερῖτις*.

6) l. l. et III, 92, 6; 94, 7. Idem Polybius (Athenaeo teste I, 57 p. 31) *διάφορον οἶνον ἐν Καπύῃ φησὶ γίνεσθαι τὸν ἀναδενδρίτην καλούμενον, ᾧ μηδένα συγκρίνεσθαι*, quae ad vinum Falernum pertinere videntur.

7) Apud Plin. H. N. XIV, 14 *s.* 16, 95, ubi leguntur verba: *Sicut adparet ex illo comico versu.* Quod Cod. Dalechampii post v. *versu* additum habet v. *Anaxipolis* scriptoris graeci (cf. Varr. de re rust. I, 1), glossa est scioli ex elencho auctorum Pliniano (I, 14) fortasse propter v. *Thasii* assumta. Plauti autem versus esse non potest, quum Sarsinas ante annum DCXXXIII p. u. c. mortuus sit, quo demum anno Plinio XIV, 14, *s.* 16, 94 auctore vini Italici genera in claritate esse et sua habere nomina coeperant; neque C. Lucilii (quod Lachmann. voluit ad Lucret. V, 1006 p. 327), quippe qui in elencho auctorum libri XIV non nominetur. Versus corruptus, fortasse ita restituendus, ut sit septenarius: *Quina Thasi vini depromam, bina Falerni* — ⏑ ⏓, Fabii Dosenni paullo ante a Plinio commemorati esse videtur, ut ex ordine auctorum in elencho libri XIV colligi potest, ubi alius comicus, praeter hunc et Plautum, non laudatur.

8) De re rust. I, 2 et 65.

9) XXVII, 1.

10) Orig. XX, 3, 6.

11) Apud Baccium l. l. V p. 209.

12) Strabo V, 29 p. 226.

13) Dionys. Hal. I, 21.

14) Ovid. Amor. III, 13, 34 et Fast. IV, 73 sq.

15) O. Müller in Etrusc. T. II p. 272 sq.

16) O. Müller l. l. T. I p. 349 sq.

17) Polyb. II, 17, 1.

caput Capuam nuncupasse [1]. Sed quum *Falerium* sive *Falernum* oppidum Campaniae fuisse pro certo affirmari non possit [2], neque reliqua Campaniae oppida ejusdem sint nominis atque Etrusca, ejusmodi originatio v. *Falerni* abjicienda est. Alii [3] a *Falaria* sive *Faleria* Picenorum oppido dictum esse statuerunt, quod multo minus cum Campanis quidquam habebat commune. Neque melius faciant, qui vocabulum a *falere* [4] suggestus genere vel loco edito repetendum esse putent. Si quid ejusmodi conjecturae tribuendum est, vocabulum, cujus radix *fal* fuisse videtur, fortasse descendit a *Faler* sive *Faleris* nomine antiquissimo ejus fluvii, qui postea a Romanis *Savo* dicebatur; constat enim complures fluvios Italiae, ut Volturnum [5] et Lirin ejusdem regionis atque Savonem, duplici nomine appellatos fuisse. Neque abhorret a probabilitate, quod regio a fluvio, qui singularem ei comparaverat locorum conditionem, nomen traxit, ita ut *Falernum*, ex quo dicta est tribus *Falerna*, non oppidum, sed totam circa Savonem regionem significaverit. Sic et tribus Ufentina ab Ufente fluvio, qui et Aufidus nuncupabatur, eodem tempore atque Falerina nomen suum accepit; sic et *Aniensis* et *Arniensis*. *Falernum* vero eadem ratione ex *Falerinum* est ortum, ut *Tifernum* ex *Tiferinum*, quocum et *Linternum*, oppidum ad paludem ejusdem nominis, agro Falerno finitimum, comparari potest.

Undecunque nomen *Falerni* profectum est, seculo quinto p. U. c. in rebus gestis Romanorum primum invenitur. Narrat enim Livius [6] anno CCCCXXXVI p. U. c. duas Romae additas fuisse tribus rusticas, et Ufentinam et *Falerinam*. Quae res nimirum inde est explicanda, quod Capua in deditionem Romanorum recepta (CCCCXIV) [7] Campanis equitibus honoris causa civitas data (CCCCXIV et CCCCXVI et CCCCXXXIII) [8] et *ager Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanae* divisus erat (CCCCXLV) [9]. Itaque fieri non poterat, quod et Peregrinus [10] intellexit, quin ex civibus et antiquis et novis, qui in Campania vivebant, tribus rustica constitueretur eadem ratione atque tribus Ufentina post Latium devictum aliaeque. Quo ex tempore nomen tribus *Falerinae* sive *Falernae* in consuetudinem abiit et saepissime commemoratur [11] mansitque ad aetatem usque M. Antonini Imperatoris [12]. Tribui autem

1) Vellei. I, 7; Strabo V, 4, 3 p. 242 et O. Muller l. l. p. 168.

2) De loco Macrobii, ubi *Salernum* et *Falernum* commutata sunt, infra dicetur.

3) Apud Baccium l. l.

4) Varro de re rust. III, 5, 14 et 16.

5) Apud Plutarch. in Fab. Max. 6, quocum cf. Varro L. L. V, 5, 12, dicitur Volturnus et *Λοθρόνος*; apud Polyb. III, 91, 9 *Ἐριβανός*. Sic *Liris* prius appellatus erat *Clanis*; cf. Plin. H. N. III, 5, s. 9.

6) IX, 20, 6, ubi fere omnes Codd. *Falerna* habent; cf. et Diodor. Sic. XIX, 10, ubi in Cod. Sigonii *Φαλερίναν* est.

7) Liv. VIII, 11, 12. Cf. ea de re Peregrin. de Camp. II, 34 p. 307.

8) Liv. VIII, 11, 16; 14, 10 et Vellei. I, 14.

9) Liv. VIII, 11, 12 et 13. *Latium Capuaque agro multati: — jugera terna in Falerno data quadrantibus etiam pro longinquitate adjectis*; cf. et c. 12.

10) De Camp. II, 34 p. 327, cui adstipulatur Pratillius de via Appia p. 247.

11) Cf. Gruter. Inscript. p. 397, 2. 3; p. 550, 2; p. 859, 1; p. 925, 4 et Mommsen. Inscript. nr. 1099. 1710. 1421. 3634. 4021. 6332. 6356. 6508. 6914, in quibus est plerumque nota *FAL* vel raro *FA*, semel *FALER*.

12) Gruter. Inscript. p. 1092, 4, ubi *Q. Caesius Fal. Fistulanus* commemoratur.

Falernae adscripti erant praeter alios[1]) Sinuessani[2]), Caediciani[3]), Urbani[4]), Foropopulienses[5]).

Ager Falernus apud scriptores non eundem habet ambitum, mox majorem, mox minorem; ubi latissime intelligitur, totam complectitur regionem, quae partim a Massico monte et agro Vescino[6]) ad Volturnum fluvium[7]) meridiem versus tendit, partim a Callicula monte ad mare Tuscum occidentem versus patet, continens praeter suum territorium et Sinuessanum agrum cum aliis partibus et Calenum et campum Stellatem. Intra montes quos dixi ad Volturnum usque sex tredecimve millia passuum in latitudinem et ad mare usque sedecim aut viginti millia passuum in longitudinem[8]) porrectus, Campaniae felicis pars est septentrionalis, ab agro Campano, quem angustius circumscribunt[9]), per eundem Volturnum sejuncta[10]).

Campaniam illam felicem de fertilitate et ubertate summis laudibus efferunt scriptores et veteres et recentiores, in quibus Plinius major[11]) haec habet: *Hinc felix illa Campania; ab hoc sinu* (Sinuessano) *incipiunt vitiferi colles et temulentia nobilis suco per omnes terras incluto atque (ut veteres dixere) summum Liberi patris cum Cerere certamen. Hinc Setini et Caecubi*[12]) *protenduntur agri; his junguntur Falerni, Caleni; dein consurgunt Massici, Gaurani Surrentinique montes.* Ex quibus Florus[13]) descriptionem suam hausit: *Omnium non modo Italiae, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniae plaga est. Nihil mollius coelo: denique bis floribus vernat; nihil uberius solo: ideo Liberi Cererisque certamen dicitur; nihil hospitalius mari: hic illi nobiles portus. — Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus.* Graeci quoque Campaniam magnifice praedicant, Dionysius[14]) his: ποίας μὲν γὰρ λείπεται σιτοφόρου μὴ ποταμοῖς, ἀλλὰ τοῖς οὐρανίοις ὕδασιν ἀρδόμενα τὰ καλούμενα Καμπανῶν πεδία; ἐν οἷς ἐγὼ καὶ τρικάρπους ἐθεασάμην ἀρούρας, θερινὸν ἐπὶ χειμερινῷ καὶ μετοπωρινὸν ἐπὶ θερινῷ σπόρον ἐκτρεφούσας; — ποίας δ' οἰνοφύτου Τυρρηνία

---

1) Recenset eos Mommsen in Ind. Inscript. p. 455; nescio cur Calenos et Caedicianos praeterierit.

2) Cf. Mommsen l. l. nr. 1421—25.

3) Mommsen l. l. nr. 4021.

4) Mommsen Inscr. nr. 3636.

5) Plin. H. N. III, 5, s. 8, 64.

6) Liv. X, 21, 7. *In saltu Vescino Falernum contingente agrum.*

7) Liv. VIII, 11, 13. *Ager — Falernus, qui populi Campani fuerat usque ad Volturnum flumen plebi Romanae dividitur;* cf. et XXII, 15, 4.

8) Secundum tabulas geographicas Joh. Ant. Rizzi-Zannonii et Attil. Zuccagni-Orlandini, quas bibliothecae et Vimariensis et Heusingeriana liberalissime commodaverunt.

9) Cf. de agro Campano et latius patente et angustius circumscripto juxta Volturnum Peregrin. I, 4 p. 11 sqq.

10) Liv. XXII, 15, 4. *Casilinum, — quae urbs Volturno flumine diremta Falernum ac Campanum agros dividit;* quamobrem et Tibull. I, 9, 33 utrumque separat dicens: *Non tibi si pretium Campania terra daretur, non tibi si Bacchi cura Falernus ager.*

11) H. N. III, 5, s. 9, 60.

12) Peregrin. II, 8 p. 74 et 95 sq. corrigit *Vescini* et *Caedilii*, ut nonnulli apud Strabonem V, 3, 6 p. 234; sed v. *protenduntur* dictum est propter situm Sinuessae, quam et ipsam in Latio adjecto fuisse Plinius III, 5, s. 9, 59 ait et Strabo l. l. §. 6 in numerum Latinarum urbium refert dicens: *αὗται μὲν αἱ ἐπὶ θαλάττῃ τῶν Λατίνων πόλεις.*

13) I, 16, 8.

14) A. R. I, 37.

καὶ Ἀλβανὴ καὶ Φαλερίνων χωρία θαυμαστῶς ὡς φιλάμπελα καὶ δι' ἐλαχίστου πόνου πλείστους ἅμα καὶ κρατίστους καρποὺς ἐξενεγκεῖν εὔπορα; Quibus accedit Strabo [1]) his usus verbis: Καμπανία — πεδίον εὐδαιμονέστατον τῶν ἁπάντων· περίκεινται δ' αὐτῷ γεωλοφίαι τε εὔκαρποι καὶ ὄρη τά τε τῶν Σαυνιτῶν καὶ τὰ τῶν Ὄσκων. — Τῆς δ' εὐκαρπίας ἐστὶ σημεῖον τὸν σῖτον ἐνταῦθα γίνεσθαι τὸν κάλλιστον, λέγω δὲ τὸν πύρινον, ἐξ οὗ καὶ ὁ χόνδρος, κρείττων ὢν πάσης καὶ ὀρύζης καὶ ἐν ὀλίγῳ σιτικῆς τροφῆς. Ἱστορεῖται δ' ἔνια τῶν πεδίων σπείρεσθαι δι' ἔτους δὶς μὲν τῇ ζειᾷ, τὸ δὲ τρίτον ἐλύμῳ· τινὰ δὲ καὶ λαχανεύεσθαι τῷ τετάρτῳ σπόρῳ. Καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ῥωμαῖοι τὸν Φάλερνον καὶ τὸν Στατανὸν καὶ Καληνόν [2]).

Ad agrum vero Falernum imprimis pertinent, quae Polybius [3]) habet, describens eum his: Τὰ γὰρ πεδία τὰ κατὰ Καπύην ἐπιφανέστατα μέν ἐστι τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ διὰ τὴν ἀρετὴν καὶ διὰ τὸ κάλλος καὶ διὰ τὸ πρὸς αὐτῇ κεῖσθαι τῇ θαλάττῃ· — περιέχουσι δὲ καὶ τὰς ἐπιφανεστάτας καὶ καλλίστας πόλεις τῆς Ἰταλίας ἐν αὑτοῖς, τὴν μὲν γὰρ παραλίαν αὐτῶν Σενουεσσανοί, — τῆς δὲ μεσογαίου τὰ — πρὸς τὰς ἄρκτους Καληνοὶ καὶ Τιανῖται κατοικοῦσι. — Ἅμα δὲ τοῖς προειρημένοις ὀχυρὰ δοκεῖ καὶ δυςέμβολα τελέως εἶναι τὰ πεδία· τὰ μὲν γὰρ θαλάττῃ, τὸ δὲ πλέον ὄρεσι μεγάλοις πάντῃ καὶ συνεχέσι περιέχεται, δι' ὧν εἰςβολαὶ τρεῖς ὑπάρχουσι μόνον ἐκ τῆς μεσογαίου στεναὶ καὶ δύςβατοι, μία μὲν ἀπὸ τῆς Σαυνίτιδος [4]), δευτέρα δὲ ἡ ἀπὸ τοῦ Ἐριβανοῦ, ἡ δὲ κατάλοιπος ἀπὸ τῶν κατὰ τοὺς Ἱρπινοὺς τόπων. A Livio [5]) quoque dicitur *amoenissimus Italiae ager Falernus* et *regio praesentis — copiae, non perpetuae*, in qua *arbusta vineaeque et consita omnia magis amoenis quam necessariis fructibus*. Quibuscum comparanda sunt, quae recentiores de tractu illo nobili disseruerunt, Antonius Sanfelicius [6]), Camillus Peregrinus [7]), Scipio Breislacius [8]), alii.

Agri Falerni situm ejusque planitiem et loca alta circa eam, qualem tabula geographica exhibet, contemplanti statim apparebit mirificum illud munimentum, quo montes continui, ex Apennino procurrentes, campos collesque quasi circumvallant [9]), ita ut totam regionem partim a frigoribus plagae septentrionalis, partim a ventis ex oriente flantibus defendant, dum arva vineaeque caloribus solis a meridie patent et humores maritimi, ab occidente libere accedentes, aerem temperant [10]). Juga illa velut serie inter se cohaerentia duobus tantum locis orientem versus diffinduntur, hinc per Savonem fluvium

1) V, 4, 3.

2) Cum his confer descriptionem Campaniae, quam Tenore habet in Essai sur la géographie du royaume de Naples p. 33 sq.

3) III, 91, 2—9.

4) Significat aditum propter Savonem; de Eribano cf. p. 3 not. 5.

5) XXII, 14, 1 et 15, 2.

6) Monachus Campanus seculi XVI in dissert. de situ ac origine Campaniae in Graevii Thes. Ital. T. IX P. 1 p. 1—12.

7) Campanus seculi XVII in dissert. I—IV de Campania felice (apud Graevium l. l. P. 2 p. 1—542) II, 34 p. 318 sqq.

8) Voyag. physiq. dans la Campanie Tom. I p. 53 sqq. sive ejusdem Phys. Reisen durch Campanien T. I p. 46 sqq.

9) Petit-Radel Voyage en Ital. T. II p. 566. *Ces montagnes fournent une chaine, qui part du voisinage de la mer et aboutit au mont Auronco.*

10) Plutarch. Fab. Max. c. 6 de agro Falerno dicit: *Ἔστι δ' ἡ χώρα τὰ μὲν ἄλλα περιστεφὴς ὄρεσιν, αὐλὼν δ' ἀναπέπταται πρὸς τὴν θάλατταν.*

inter Roccam Monfinam et Calliculam montes, illinc per Volturnum fluvium, ubi is faucibus Tifatorum et Calliculae montium superatis in campum apertum exspatiatur; sed ne sic quidem afflatibus Euri noxiis aditus ad rura Falerna liber permittitur. Praeterea a Septentrione in confinio [1] Massici et Roccae Monfinae, ubi nunc est *Cascano*, haud procul a Suessa Auruncorum, angustiae montium sive saltus accessum ad agrum Falernum admittunt, ita tamen ut ab hac quoque parte regio Falerna locis superioribus prominentibusque protecta sit.

Totus vero montium tractus tribus constat partibus, Massico, et Rocca Monfina, et Callicula, quorum primus ab Aquilonis plaga Africum versus jugum, quod compluribus constat verticibus, eo tendit, ut media ejus pars in Occidentem quidem paululum porrigatur, extrema autem in meridiem conversa [2] oram maritimam paene attingat, Sinuessae oppido antiquo imminens [3] et claustra quasi locorum ibi constituens [4]. Dicebatur olim *Massicus mons*, vel plurali numero, sive propter longitudinem [5] et amplitudinem, qua jugum ejus excurrit, sive quia complures habet partes, *Massici montes* [6]; nunc autem pars australis, quae quodammodo sejuncta stat, *il Massico* vel *Rocca di Mondragone* [7], ceterae *il Brecciole* a marmore ibi nascente [8] nominantur. Mons est neptunalis, quem dicunt, et solum habet, quale Apenninus, quocum olim cohaesit [9], calcarium [10], coloris cinerei, densum, granis subtilibus constans [11], ita ut ad vineas instituendas satis idoneus sit. In parte tamen Suessam spectante silvis erat obsitus [12].

Juxta Massicum surgit *Rocca Monfina* mons totus vulcanius, qui apud veteres aeque ac Massicus et Callicula nomen suum habuit, de quo post videbimus. Ejus promontoria, cum Massico septentrionem versus conjuncta, saltum efficiunt, quem veteres [13])

1) Ubi et via publica nunc a Sessa Capuam novam fert.

2) Tres partes et Jo. Stadius ad Flor. I, 16, 3 sed male distinguit: *Hujus montis pars occidentalis Gaurus, orientalis et juga ejusdem Massicus, septentrionalis Falernus dicebatur.* Hinc et Sachs in Ampelogr. p. 426, Gauranum vinum in monte Gauro, qui nunc Rocca di Mondragone nominetur, natum esse dicit; quo de errore infra dicemus.

3) Liv. XXII, 14, 3. *Ut vero in extrema juga Massici montis ventum est, hostes — sub oculis erant, Falerni agri colonorumque Sinuessae tecta urentes.*

4) Descripsit montem Breislac T. I p. 111 sq. (germanice p. 86 sqq.); cf. et Cluver. Ital. Ant. IV, 5 p. 1171.

5) Breislac l. l. p. 112 (p. 87): *La longueur de son épine est d'environ* 15,584 *mètres* (8000 *toises*). — *La largeur de sa base n'est pas par-tout la même; où elle est la plus grande, elle peut avoir environ* 4675 *mètres* (2400 toises).

6) Phylarg. ad Virg. G. II. 143.

7) Fortasse eodem modo et veteres Romani distinguebant partem australem, *Massicum*, quo nomine et pro toto monte utebantur, a media parte *Statano*, unde vinum est appellatum apud Plin. H. N. XIV. 6, s. 8, 65.

8) Breislac l. l.

9) Procul dubio mons ignivomus, cui nomen est Roccae Monfinae, nexum Massici et Apennini interrupit, ut videre licet.

10) Daubeny Description of Volcanos p. 178 sq.

11) Breislac l. l. p. 113 (p. 70 et 87).

12) Frontin. de controv. agror. II p. 48 (Agrimens.). *Et sunt plerumque agri, ut in Campania in Suessano, culti, qui habent in monte Massico plagas silvarum determinatas*

13) Flor. II, 6, 28 et inde Jornand. de regnor. success. p. 35.

Massicum dixisse videntur. Hoc saltu, in quo *Cascano* nunc est, superato per vallem[1]) descenditur ad regionem Falernam, in quam colles clivique, quibus *Casale*, *S. Donato*, *S. Aniello*, *Carinola* superpositae sunt, et ipsi volcanii, cum tribus brachiis massae igneae, nunc torridae, ex Rocca Monfina ejusque promontorio *Cannito* procurrunt, dum omnia in eadem Roccae Monfinae parte ad Carinolam usque terra tofacea[2]) obsita sunt[3]). Quod quantum ad culturam optimi vini ibidem nati fecerit, postea demonstrabitur.

Superest tertium montium jugum, quod veteres *Calliculam*[4]) dixerunt, Itali nunc *monte Pioppitella* nominant; id sejunctum a promontoriis Roccae Monfinae per Savonem ejusque saltum duabus constat partibus, altera Occidentem versus, ubi montis cacumen in agrum Falernum procurrit cum turre Francoliseana, idem cui antiquitus, ni fallor, nomen erat *collis*[5]) vel *mons Falernus*, altera, quae a plaga Cauri Euronotum versus ad Volturnum usque porrigitur, una cum agro Caleno vitifero. Quod montium jugum eadem continet elementa soli calcaria, qualia supra descripsi.

---

1) Breislac. p. 57 (48 sq.).

2) Tenore Essai sur la Géogr. physique du royaume de Naples p. 35 sqq.

3) Tenore l. l. p. 34 ejusque tabula geologica, Breislac. l. l., Daubeny l. l. et Pilla *Soggio Comparativo* in Annali della Università Toscane T. 1 P. 2 p. 212 et p. 304. Quos libros una cum aliis ex bibliotheca sua ditissima humanissimus collega Dr. *Heusingerus* mecum communicavit. Saxum generale Roccae Monfinae, trachytae simillimum, Herm. Abich in Geolog. Beobacht. über die vulcan. Erschein. etc. I, 1 p. 113 ita describit: *Das wesentlichste und am meisten bezeichnende Merkmal des Gesteins ist das verworrene Beieinandersein seiner mineralogischen Bestandtheile. Eine meistentheils röthlichbraune, bisweilen graue Grundmasse von feinem Korn und dichter, aber nicht sehr fester Beschaffenheit ist auf das innigste durchwebt und verwachsen mit kleinen sehr undeutlichen Feldspaththeilchen, welche häufig wie im Zustande der Zersetzung, niemals aber glänzende Flächen, sondern immer nur glasartigen Bruch zeigen. Viele grüne Augittheilchen, stets ohne eine Spur von Hornblende, durchziehen theils einzeln, theils mit der Feldspathsubstanz, zu grösseren körnigen Partieen eng verbunden, die Masse, als deren vorherrschender Gemengtheil indess ein tombakbrauner, meistentheils in hexagonalen kleinen Tafeln auftretender Glimmer ganz besonders hervorzuheben ist. — Das specifische Gewicht des Gipfelsteins von Roccamonfina fand ich 2,7894, den Kieselerdegehalt aber 57,41 Proc.*

4) De *Callicula* monte cf. Cluver. Ital. antiq. IV, 5 T. II p. 1172 sq. et Peregrin. II, 32 p. 303 sq. Fuerunt, qui dicerent Calliculam esse montem *Patenaram* vel postea nominatum *Cajanellum*, haud procul a Teano (cf. Peregrin. l. l. p. 306 et Zuccagni in Atlante geografico degli stati Italiani T. 11); sed *Callicula*, cujus nomen fortasse eandem habet originem atque *Cales*, haud procul a Calibus assurgens Euronotum versus ad Casilinum usque porrigitur, ut ex Livio XXII, 13, 6 apparet, ubi Hannibal dicitur iter ex agro Allifano Casilinum tendens *per Calatinum et Calenum agrum in campum Stellatem descendisse* et (14, 1) ad Volturnum flumen venisse, Fabius Maximus autem, (15, 3) *quum satis sciret* Hannibalem *per easdem angustias, quibus intraverat Falernum agrum, rediturum Calliculam montem et Casilinum occupasse*, quo facto Hannibal (16, 5), *quum per Casilinum evadere non posset, petendique montes et jugum Calliculae superandum esset, — ludibrium oculorum — commentus — (17, 7) toto agmine — transducto per saltum — in agro Allifano posuerit castra.*

5) Martial. XII, 57, 22. *Nec in Falerno colle* (al. *monte*) *major autumnus.* Flor. I, 16, 5. *Hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus et pulcherrimus omnium Vesevus.* Serv. ad Virg. G. II, 96. *Falernus mons Campaniae est, in quo optima vina nascuntur.* Alii sane *montem Falernum* pro Massico dictum esse putant, ut Philargyr. ad Virg. G. II, 143. *Vinum a montibus Falernis, qui Massici dicuntur*, vel, ut Stud. ad Flor. l. l., ejusdem jugi varias partes *Massicum* et *Falernum* et *Gaurum* fuisse opinantur; sed errant, quum Florus l. l. Falernum atque Massicum montes et Plin. III, 5, s. 9, 60

Haec est montium conditio, qui regionem Falernam claudunt[1]. A montibus vero decurrunt in eam et fluvii et rivi rivulique, qui rura camposque irrigant. Duo sunt fluvii, quorum alter *Volturnus*, qui et Casilinus[2] dicebatur, nunc *Volturno*, *rapax*[3] *multamque*[4] *trahens sub gurgite arenam*, agrum Falernum meridiem versus continet, alter *Savo*[5], nunc *Saone* vel *Savone*, ex Auruncorum finibus intra Roccam Monfinam et Calliculam cito profluens, agrum Falernum in duas dirimit partes, et septentrionalem et australem. Hic recipit ab illa parte *Pratonem* et *Rotam* et *Riccium* rivos, qui ex Rocca Monfina prodeunt, ab hac *Lanzium* rivum et *aquas Agnenas*, cum Lanzio rivo ex jugo Calliculae manantes, ita ut Savo solus omnes regionis Falernae aquas in mare effundat. Sed quum cursus ejus, ubi ex valle Teanensi profluit, lenis placidusque sit propter aequora camporum, quos permeat, admodum plana, fit ut in ora maritima, per vada stagnaque[6] ampla, quae Itali *le Saucelle*[7] quasi Savonulos nominant, serpens[8] in mare Tuscum exeat. Accedunt loca aliquot palustria partim intra Lanzium rivum et Savonem flumen, quae *Pantano di S. Andrea* nominantur, partim apud Carinolam secundum Pratonem rivum, qui et lacum efficit Carinolensem. .

Praeterea fontes medicati, qui in regione vulcania inveniri solent, hic illic emergentes opportunitatem et jucunditatem illorum locorum augent. *Aquae Sinuessanae*, quas Livius[9], Tacitus[10], alii[11] commemorant, olim *salubritate* sua una cum *mollitie coeli refovendis viribus*[12] *servire et sterilitatem feminarum et virorum insaniam abolere pro-*

---

cum Vibio Sequestri montes Massicos ab agris Falernis distinguant et Gaurus sit mons haud procul a Puteolis. Alii, qui locos Plinii XIV, 3, s. 4, 38 et 6, s. 8, 64 male intellexerant, Fr. Petrarca (Epist. ad Fam. V, 4, ubi mons describitur) et Jo. Boccacius in Ninfale d'Ameto p. 33, eundem montem Puteolanum *Falernum* esse dixerunt, refutati jam a Peregrin. de Camp. II, 17 p. 174 et a Pratillio de via App. p. 188.

1) Liv. XXII, 13, 7. Hannibal *quum montibus fluminibusque clausam regionem circumspexisset* etc.

2) Vib. Sequester de fluv. p. 28 et Agath. Hist. II, 4 p. 71.

3) Claudian. de Olyb. et Prob. Cons. 256.

4) Ovid. Met. XV. 714. Cf. de eo flumine Pratill. l. l. p. 260 sq.

5) Plin. H. N. III, 5, s. 9, 61. Reichard, Zuccagni in Atlante Italiae T. II. et alii Savonem nunc esse *Riccium* volunt; sed jam tabula Peutingeriana meliora docere poterat, quae Savonem ex valle Teanensi profluentem ostendit. Sanfelicius contra in Chorographia apud Gruter. Thes. Ital. T. IX, P. 1 et Pratillius de via Appia p. 243, qui fluvium describit, nomen *Saone* recte constituunt.

6) Liv. XXII, 16, 4. *Poenus — inter Formiana saxa ac Literni arenas stagnaque perhorrida situ hibernaturus;* cf. et Breislac. l. l. p. 63 (55), qui emissaria iis in stagnis facta esse dicit, et Zuccagni-Orlandini in Corogr. d. Ital. T. XI p. 912. *In luogo piutosto insalubre per varie paludi formate dalle acque del Sarno* (Saone?) *e di altri piccoli fiumi.*

7) Pratill. l. l. p. 177.

8) Savonem non rapidum et stagnis immorantem significat Stat. Silv. IV, 3, 65 cum *pigrum* dicens.

9) XXII, 13, 10.

10) Hist. I, 72, ubi cf. Lipsium.

11) Plinius H. N. XXXI, 2, s. 4, 8 et Strabo V, 3, 7 p. 234. *Πλησίον ἐστὶ δ' αὐτῆς (Σινοέσσης) θερμὰ λουτρὰ κάλλιστα, ποιοῦντα πρὸς νόσους ἐνίας.* Hinc et Sinuessa ipsa dicitur *tepens* a Sil. Ital. VIII, 527 et *mollis* a Martial. VI, 42, 5.

12) Tacit. Ann. XII, 66.

debantur[1]) Nunc duo conspiciuntur illic fontes salubres, alter, ex pluribus locis scaturiens, inter Sinuessae reliquias et castellum Mondragonis[2]), ad radices[3]) *Cicalae* collis vel turris thermarum *(Torre de' bagni)*, prope a via publica ad milliarium CVIIII, continet in aquis calidis elementa hydrogenii sulphurei[4]), alter juxta viam publicam in oppido Mondragone apparet, ferrugineus[5]), elementis oxygenii constans, qui dicitur *acqua marziale di S. Giuseppe in Mondragone.* Praeter eos tertius fons medicatus, cujus *aqua acidula vini modo temulentos fecit*, — erat *in agro Caleno*, ut Plinius[6]) narrat; et adhuc duobus ex locis ad radices collis, in quo turris est Francoliseana, aquae acidae, limpidae, elementa carbonacea continentes et odorem vinosum exhalantes, *l'acqua del bagno di Francolise*, manant[7]).

Denique ut regio tota per Savonem fluvium in duas divisa est partes, ita et solum *agri Falerni* bipartitum est, constans elementis terrae et calcariis et tofaceis, quorum illis montes, praeter Roccam Monfinam, atque loci boreales, his campi australes continentur, limite disjuncti, quem via publica a Mondragone ad vicum *la Posta*, deinde ad viam usque Latinam, denique ad Volturnum sequitur[8]). Incipit enim ibidem Campana illa planities, cujus solum tofaceum, a montibus septum, juxta Capuam, Acerras et Nolam versus austrum Neapolim usque extenditur[9]). Regio autem Falerna australis constat terra tofacea, quam dicunt vulcaniam secundariam, subtili, composita granis ejusdem formae atque magnitudinis[10]), friabili, coloris subfusci. Quae terra quum ab aeris appulsu solvitur atque mutatur, fertilissima, cum aquis et rivorum et imbrium, quas intra se diutius servat conjuncta, pascua gignit laeta et luxuriosa[11]) remque pecuariam olim multum adjuvisse videtur.

---

1) Plin. l. l.

2) Pratill. l. l. p. 165 sq. et Breislac l. l. p. 119 (p. 92).

3) Sic recte jam Cluver. in Ital. antiq. III, 10 p. 1085; sed Peregrinus de Camp. II, 9 p. 101 sq. per errorem aquas posuit ad ripam *Pratonis* rivi, quatuor millia passuum a Sinuessa, easque medio aevo dictas fuisse *Coldanam de Cilitia*, quo ex nomine postea aedicula *S. Mariae ad Caudanam* appellata sit, probare studet II, 10 p. 107. Alia est quae hodie dicitur *Acqua delle Caldarelle* (Pratill. l. l. p. 227) sive (apud Zuccagnium) *Caldinelle*; cum Plinius XXXI, 2 *Acidulam frigidam* nominat et Vitruv. VIII, 3 (4) 17 *ferrugineam et calculos in vesicis potionibus discutientem* fuisse narrat. Ea prope a Teano abest (Pratill. l. l. et Breislac l. l. T. I p. 99 sq. (p. 78) et Renzi Topogr. statist. med. d. Nap. p. 171. edit. IV), non IV millia passuum, ut Plinius l. l. dicit, qui eam fortasse cum aqua Calena commutavit.

4) Plin. H. N. II, 93, s. 95, 207: *Spiritus letales — mortiferi nonnunquam et homini, ut in Sinuessano agro* Breislac l. l. p. 118 (p. 91 sq.), Zuccagni in Atlante Ital. T. II et Renzi l. l. p. 167 (ed. IV).

5) Breislac l. l. p. 119 (p. 92), Zuccagni l. l. et in Corografia dell' Ital. T. XI p. 66 et Renzi l. l. p. 172.

6) H. N. II, 103, s. 106, 230; cf. et Valer. Max. I, 8 ext. 18. *In Caleno agro aquam proprietatem vini, qua homines inebrientur, possidere voluerit.*

7) Breislac l. l. p. 57 (p. 49 sq.), Zuccagni Atlant. Ital. T. II et Renzi l. l. p. 174; cf. de his fontibus et Cam. Peregrin. l. l. II, 23.

8) Ita solum distinguit Tenore l. l. in tabula geologica; sed H. Abich in Geolog. Beobacht. ub. d. vulcan. Erschein. nullum statuit discrimen, nisi inter montes calcarios, excepto Rocca Monfina, et inter campos tofaceos.

9) Tenore charta geologica in Essai etc. et H. Abich.

10) Breislac l. l. p. 59 sq. (p. 51).

11) Sil. Ital. VII, 159 *uberis arva Falerni.*

Reliquus ager Falernus ad laevam viae publicae a Mondragone Capuam versus ducentis una cum maxima parte orae maritimae atque loca plana ad radices Massici montis et ad promontoria Roccae Monfinae et juxta collem Francoliseanum habent solum calcarium[1]), quod dicunt alluvium, ita tamen ut terrae tofaceae[2]) primariae et secundariae, quam vocant, singuli tractus hic illic, juxta Pratonem et Rotam et Riccium rivos atque in agro Caleno, interjecti considant[3]). Quod solum, et calcarium et tofaceum, ad vites colendas maxime accommodatum, procul dubio in causa erat, cur optima vina in agris Massicis et Falernis et Calenis nascerentur. Quantum autem campus Campaniae ea re universas terrras antecedat, Plinius[4]) his declarat verbis: *Campus est subjacens montibus nimbosis, totis*[5]) *quidem XL M passuum planitie. Terra ejus, ut protinus soli natura dicatur, pulverea summa, inferior bibula et pumicis vice fistulosa quoque Montium culpa in bonum cedit; crebros enim imbres percolat atque transmittit nec dilui aut madere voluit propter felicitatem culturae. Eadem acceptum umorem nullis fontibus reddit sed temperat et coquens intra se vice furni continet.*

Itaque natura fautrice multa concurrerunt, ut ager Falernus fertilissimus[6]) esset et *amoenissimus Italiae*[7]), soli ubertas cum aquis fecundantibus, campi frugiferi gramineique juxta fluvios rivosque patentes, colles aprici ad radices montium porrecti vitibusque amicti, montes ipsi totam regionem brachiis suis quasi amplexi et ab impetu pernicioso septentrionis et orientis tuiti, *sol*[8]) denique *mitis*, *temperies grata, aer purus et blandus.* Inde et explicandum est, quod Romani simulac Falerna regione anno CCCCXIV p. U. c. potiti sunt[9]), non solum in eam et circum eam colonos deduxerunt agrosque distribuerunt, sed etiam viam Appiam per eundem tractum straverunt. Illa enim via[10]), quam Appius Claudius Caecus, dum Censor erat, triginta fere annis post agrum Falernum a Romanis occupatum, anno circiter CCCCXLII p. U. c. a Roma Capuam[11]) usque munivisse fertur[12]), per regionem Falernam ducta extremos ejus fines, Sinuessam et Casilinum, ut constat, inter se conjunxit. Sed quasnam per partes locosque agri Falerni via fuerit

---

1) Breislac l. l. Herm. Abich tamen, ut jam dictum est, planitiem totam tofo obsitam esse dicit.

2) Inprimis apud vicum *Carinolam.* Zuccagni-Orlandini in Corogr. T. XI p. 913. *Una parte del territorio* (di Carinola) *é vulcanica, come lo mostrano il suolo lapilloso, che perciò produce ottimi vini, lodati anche nel tempo antico.*

3) Breislac l. l. Eodem modo et vallis Tiburtina, quae est tofacea. in solo calcario considit.

4) H. N. XVIII, 11, s. 29, 109.

5) Fortasse scribendum est *totus — planities;* illud voluit Osannus noster, hoc indicant Cod. Tolet. et unus Paris., in quibus *planitia est.*

6) Sil. Ital. VII, 159 sq. de Falerno: *dives ea et nunquam tellus mentita colono.*

7) Liv. XXII, 14.

8) Isidor. Orig. XIV, 4.

9) Liv. VIII, 11. *Latium Capuaque agro multati. — Ager — Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanae dividitur.*

10) Cf. de ea Becker Gallus T. I p. 237 sqq.

11) Diodor. Sic. XX, 36 et Frontin. de aquaeduct. l. 5.

12) Liv. IX, 29.

strata, ea de re viri docti dubitant et in varias discesserunt sententias; nonnulli eam juxta oram maritimam et secundum Volturnum fluvium processisse sibi persuaserunt, alii per eos locos, ubi nunc est *Ciambrisco* et *la Posta*, alii per medium agrum, sed diverso tractu. Quas lites componere et certum aliquid constituere res est lubrica et discriminis plena, praesertim cum sententia Pratillii [1]) hac de parte viae Appiae impugnanda sit, qui faciem illius regionis bene cognovit et loca ibi diligenter perscrutatus est. Accedit quod res antiquae, quae in agro Falerno fortasse postea reperientur, facile id quod statueris evertere possunt, et quod Institutum archaeologicum, quod Romae est, novas quaestiones de via Appia nuper instituere coepit [2]). Sed quum quaestiones, quas dixi, ad primam tantum partem viae Appiae pertineant, quae a porta Capena Ariciam ducit, et quum ager Falernus, qui proprie nominatur, nonnisi cursu viae Appiae constituto accurate indicari possit, periculum conjecturae facere malo, quam rem silentio praeterire.

Vulgo putant viam Appiam ita fuisse structam per agrum Falernum, ut a Sinuessa per loca, ubi nunc *Molino di Ceppani* et *Ciambrisco* et *la Posta* sunt, Casilinum ferret. Hanc sententiam primus proposuerat Pratillius [3]), qui viam ibi fuisse dixit, ubi nunc est *Molino delli Monaci* prope a Ciambrisco; eum secuti sunt inter alios Urban [4]) et Lapie, ita tamen ut pontem Campanum, VII millia a Sinuessa distantem, Pratoni rivo, ubi nunc est *Molino di Ceppani*, impositum fuisse dicerent; sed Pratillius nullum attulit argumentum, cur viam haud procul a *Molino delli Monaci* fuisse censuerit, nisi inscriptionem, quae tamen nihil probat [5]), ibi repertam, neque reliquum viae Appiae ad Casilinum usque cursum ex indiciis testatis constituit, dum viae, quae a Sinuessa in agrum Falernum ducebat, certa protulit vestigia, ex quibus regio viae definiri possit, tria milliaria sive cippos. Tum passuum inter Sinuessam et Molino di Ceppani non sunt VII millia, quae Lapie numerat, sed VI, et inter Molino di Ceppani et Ciambrisco non III, sed IV, nisi quis putet discrimen inde esse ortum, quod Prato rivus cursum mutaverit. Deinde ex hac descriptione viae Appiae, quae agros vitiferos et campum Stellatem discriminat, amplius campi quam agri spatium relinquitur, quod factum esse probabile non est. Porro via Appia de sententia Urbani finem habuisse eo loco dicitur, ubi nunc est *Taverna di Marotta*, quae, nisi est error oculorum pro *Taverna* ad Volturnum, a Volturno duo millia abest; praeterea non intelligitur, cur via Appia inter Sinuessam et Casilinum tot fecerit flexus, quum constet Romanos vias ita munivisse, ut fere semper, nisi ubi necessitas cogeret, limitem rectum sequerentur; in plano autem campo, qualis est Falernus,

---

1) Liber ejus editus est Neapoli 1745.

2) Esposizione topographica della prima parte dell' antica via Appia in Annali dell' Instit. Vol. XXIII—XXV et in Monument. dell' Inst. Vol. V. Scripsit L. Canina.

3) de via App. II, 10 p. 243.

4) Recueil p. 210.

5) Inscriptio apud Pratill. l. l. p. 244 ita se habet: *D. M. S. felicissimae conjugi Victor maritus B. M. F.*

nulla erat causa a ratione rei conveniente recedendi. Denique mirum esset, cur Appius, quod compendio viarum nancisci poterat, amfractu longo consequi studuisset; etenim circuitus viae Appiae, qui vulgo describitur, XXI vel XXIII[1]) millia passuum continet, dum Sinuessa a Casilino XIX tantum vel XX abest.

Idem efficitur circuitus, si cum Guillaume[2]) pontem Campanum, ubi nunc est castellum *Pagano*, fuisse et viam Appiam juxta dexteram Volturni ripam Casilinum tulisse statueris; qui error inde exortus esse videtur, quod via Appia cum Domitiana commutabatur. Brevissima via, ubi a Sinuessa Casilinum proficiscens limitem rectum sequaris, est XIX millium passuum; eamque Peregrinus in tabula geographica indicare videtur, sed quominus ea incedi possit, impedit Massicus mons inter Sinuessam et agrum Falernum prominens.

Statuendus igitur est flexus viae Appiae, quod Peregrinus et Kiepertus recte fecerunt, haud procul a Sinuessa, ita ut via ab oppido, quod dixi, juxta oram maritimam duo millia passuum ad milliarium usque CX procedat, tum vero ad sinistram flexa limite recto Casilinum usque per agros XVIII millia passuum ferat. Quod ubi sumseris, monumenta antiqua reperta et locos veterum scriptorum cum hoc viae tractu convenire cognosces.

Superest enim milliarium CVIIII, repertum ad sinistram viae Appiae a Sinuessa venienti in loco, ubi aquae olim erant Sinuessanae, nunc est Torre de' Bagni[3]), mille passus a *li Vagnoli;* superest milliarium CX ad eandem manum, haud procul a castello Mondragone, apud reliquias aquaeductus[4]); accedit milliarium CXI et CXII[5]) reperta ad sinistram Mondragonis oppidi, haud procul ab eo, ad radices Massici montis[6]); superest denique milliarium[7]) CXIII, quod tamen ubi fuerit repertum, non constat. Jam vero et Plinii locus[8]) bene explicari potest, qui pontem Savonis IV milliaria et VI millia passuum a Sinuessa remotum fuisse dicit, quum Savo, ut tabula geographica ostendit, IX millia passuum ab ea distet, id quod et Itinerarium Hierosolymitanum confirmat, eundem numerum exhibens[9]). Neque obstat tabula Peutingeriana, in qua numerus VII procul dubio ad hanc viae Appiae partem, non ad viam Domitianam referendus est[10]),

1) Itinerar. ap. Mommsen Inscript. p. 335.

2) In Itiner. ed. Parthey p. 371 v. *Ponte Campano.*

3) Pratill. p. 25 et p. 165.

4) Pratill. p. 165 et p. 236.

5) Mommsen Inscript. p. 334 nr. 6233 sq.

6) Pratill. p. 21 (ubi male scribitur CVI) p. 240 et Mommsen Inscr. p. 335 n. CXI et CXII.

7) Pratill. p. 242.

8) H. N. XIV, 6, 5—8, 62.

9) p. 287 nr. 611, 6. *Civitas Sonuessa* (a mutatione Pontis Campani) *mil. VIIII.* et apud Mommsen. p. 335.

10) Fere omnes, qui eum locum tabulae Peutingerianae laudant tractantve, neglecto signo VII, quod juxta *Sinuessam* in tabula exaratum est, numerum passuum additum esse viae Appiae, quae est inter Sinuessam et pontem Campanum, vel negarunt (Parthey not. ad Itin. Anton. nr. 109, 1 et Urban. p. 210), vel cum passibus viae Domitianae, quae Sinuessa Liternum ducit, adeo conjunxerunt, ut inter utrumque oppidum spatium statuerent XXXI millia passuum (Romanelli l. l. T. II p. 509 et Urban. l. l. p. 211), quamquam Itinerarium Anton. (nr. 122, 6 p. 57 Parth. et p. 35 Urban.) numerum XXIV (*Sufo fl. VII*

quippe qui non totam viam inter Sinuessam et pontem Campanum, sed partem tantum a ponte Campano ad flexum usque sive ad milliarium CX indicet. Quod eo verisimilius est, quoniam altera via, Domitiana, initium ibi capiebat [1]. Eodem in trivio, ni fallor, vicus Petrinus erat, quem Horatius laudat [2]; quatuor autem millibus passuum longius in via Appia Casilinum versus alius erat locus, a Plinio commemoratus, quo de vico postea videbimus, tum pons Campanus tria millia distans. Sic bene omnia procedunt; sed major existit difficultas in reliqua viae Appiae parte. Etenim quum in Itinerario Antonini Sinuessa a Capua XVI millia passuum [3], in Hierosolymitano autem [4] XXVI millia distare dicatur, necesse est intervallum pontis Campani et Capuae vel VII vel XVII millia fuisse sive pontem quem dixi a Casilino IV vel XIV millia abfuisse [5]. Quam ad diversitatem numeri accedit nota tabulae Peutingerianae, quae pontem Campanum XII millia passuum a Casilino sive XV a Capua remotum fuisse docet [6], dum mensura locorum spatium inter pontem et Capuam XIV millium exhibet. Difficultatem denique rei auget, quod idem locus viae Appiae, qui in tabula Peutingeriana dicitur *ad Nonum*, in Itinerario Hierosolymitano nominatur *ad Octavum*. Sed hoc ipsum nobis viam aperit, qua discrimina illa mensurae explicare et rem, qualis fuerit, eruere possimus. Distinguendum enim est in numeris passuum, quos scriptores latini laudant, inter *millia* et *milliaria*, quorum illud passus, hoc lapides sive cippos milliarios ita significat, ut passuum numerum vel aequet vel uno superet. Nam in more erat veterum, ut in milliariis numerandis a primo ejus loci, unde iter faciebant, incipientes ultimum quoque itineris milliarium ceteris adderent, ita ut v. c. quatuor milliaria aequarent tria millia passuum [7]. Qui mos in aliis quoque rebus, ut in diebus constituendis, observatus, a Roma, ubi primum milliarium aureum [8] in foro stabat, ad alia loca et in Italia et extra Italiam translatus est. Hinc factum est, ut et mensura viae a Capua ad pontem Campanum vel Sinuessam usque duplici modo constitueretur. Morem illum secuti sunt, qui loco inter Casilinum et Urbanam indiderunt nomen, quod in tabula Peutingeri legitur, *ad Nonum* sive

Vulturna XII) exhibet, cum re ipsa magis convenientem, ut docet Lapie (Recueil p. 35 et p. 211), utramque oppidum XXVI millia passuum distare affirmans. Volturnum castellum, ut tabula geographica demonstrat, IX tantum millia passuum a Sinuessa abest, secundum Lapie XIV.

1) Pratill. p. 177.

2) Epist. I, 5, 5. Pratill. p. 177 vicum a Sinuessa longius remotum fuisse opinatur, sed cf. quae idem p. 238 et sq. habet.

3) p. 50 nr. 109, 1 (p. 32 Urban) *Capua mpm XVI*, quem numerum Parth. ex duobus Codd. recepit; Cod. Laurent. sec. habet XXIII, reliqui XXVI.

4) p. 287 nr. 611, 4—6 (p. 192 Urban.) *mutatio Ad Octavum mil VIII*, *mutatio Ponte Campano mil VIIII, civitas Sonuessa* (sic) *mil VIIII.*

5) Ita apud Mommsen l. l. p. 335.

6) p. 210 ed. Urban. *Urbanis III Ad Nonum III Casilino VI.*

7) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

8) Plutarch. Galb. 24 et Plin. H. N. III, 5, s. 9, 66. Quare *mille passus*, ut Macer dicit in Dig. L, 16, 154, *non a milliario Urbis, sed a continentibus aedificiis numerandi sunt.*

ad nonum lapidem proficiscenti a Capua, ubi primum sumebatur esse milliarium; morem alterum tenuerunt, qui, ut in Itinerario Hierosolymitano factum est, eundem locum *ad Octavum* nominarunt, quum octo millia passuum a Capua distaret. Quae si recte disputata sunt, apparet recte scribi in Itinerario Hierosolymitano *mutatio ad Octavum mil VIII* a Capua, in tabula autem Peutingeriana, quae hac in parte Italiae omnino corruptior esse videtur, pro *Casilino VI* (a mutatione ad Nonum) *Casilino V* corrigendum esse [1]). Rectius contra in eadem tabula mansiones quae sequuntur, *Urbana* et *pons Campanus*, terna millia inter se et Nonum distare dicuntur, dum Itinerarium Hierosolymitanum falso habet *mutatio Ponte Campano VIIII* (ab Octavo) pro *VI*, quem in errorem librarius numero eodem VIIII, qui sequitur, inductus esse videtur. Quam rem confirmat Itinerarium Antonini, ubi codex Laurentianus alter intervallum Capuae et Sinuessae recte constituit *m XXIII p m.*

Jam postquam et tractum et longitudinem viae Appiae inter Sinuessam et Casilinum indicavimus, superest, ut de exitu ejusdem meliora proferamus. Sunt enim, qui viam Appiam in Latinam inter Cales et Casilinum exiisse putent, ita ut a Latina conciperetur. Sed ab isto deverticulo viae Latinae, quod Appia posterius sine dubio munitum erat, viam illam regiam exceptam fuisse, nullo modo probari potest; nec ambae diversis locis Casilinum incurrerunt, quum Strabo [2]) Latinam apud Casilinum in Appiam incidisse dicat et unus tantum fuerit pons, qui utramque [3]) Casilini partem, Volturno fluvio divisam, conjungebat; immo, ut mensura docet, (Cales enim a Casilino VII millia passuum [4]) distat), deverticulum istud ante ipsum Casilinum [5]) in Appiam exiit, quae ponte superato per medium Casilinum Capuam, tria millia passuum distantem, recto itinere ferebat [6]). Duo autem distinguendi sunt pontes ibidem, alter antiquus, orientem versus, qui partem Casilini ad dexteram Volturni ripam cum altera jungebat, nunc deletus, cujus fundamenta haud procul ab ecclesia *Santella* sub aquis conspiciuntur [7]); alter pons occidentem versus juxta Capuam novam haud procul a *S. Vincenzo*, per Longobardos seculo nono exstructus [8]), quo nunc Volturnum trajiciunt. Quodsi ad hunc pontem lapis [9]) stat,

---

1) Accedit quod intervallum VI millium sine mansione in Itinerario Italiae non facile invenitur, nisi forte ubi numerus excidit.

2) V, 3, 9 p. 237 *Ἡ Λατίνη (ὁδὸς) ἡ συμπίπτουσα τῇ Ἀππίᾳ κατὰ Κασιλῖνον*; ita enim emendarunt *Κασῖνον*.

3) Liv. XXII, 15, 4. *Urbs Volturno flumine diremta*; XXIII, 17, 10. *Partem urbis, quae cis Volturnum est; eo enim dividitur amne;* adde et 12, ubi flumen alteram urbis partem cinxisse dicitur. Cf. Pratill. p. 255.

4) Tabul. Peuting. et Mommsen Inscript. p. 336.

5) Cf. Pratill. l. l. Sanfelicius de Campan. p. 9 F. locum male constituit sextum et decimum stadium a ponte Campano; Peregrinus II, 31 p. 293 viam Latinam ultra Casilinum (a Capua venienti) in Appiam incidisse dicens rem incertam relinquit.

6) Pratill. p. 262. 264, qui reliquias ejus viae recenset.

7) Pratill. p. 257.

8) Pratill. l. l. Hunc per pontem viam Appiam transiisse Kiepertus in tabula geographica apud Mommsen minus recte statuere videtur.

9) Mommsen nr. 6242.

qui viam (Appiam), inundatione aquae interruptam, (anno CCXII p. Ch. n.) a M. Aurelio Antonino Caracalla restitutam esse indicat, Pratillius[1]) monuit eum lapidem *olim* in alio loco, *Maiorise*, fuisse; lapis igitur nihil probat de origine pontis.

Via autem Appia totam regionem Falernam non solum in duas sejunxit partes, in rura fertilissima septentrionem versus et in pascua fecunda meridiem versus, sed etiam in agros coloniis vicisque juxta viam conditis et limitibus deverticulisque terminatos. Fuerunt vero, quantum conjicere licet, praeter Falernum et Faustianum, de quibus ultimo loco dicendum erit, hi: ager Sinuessanus cum Statano, Caedicianus sive Faustianus, campus Stellatis, ager Urbanus, Foropopuliensis et Calenus.

Ager *Sinuessanus*, quem Plinius[2]) laudat, erat in regione occasum versus et nomen habuit a *Sinuessa* colonia, condita anno CCCCLIX p. U. c.[3]) *in saltu*[4]*) Vescino, Falernum contingente agrum.* Constabat autem ex parte agri Vescini, qui inter Lirim et Massicum montem continetur[5]), et ex ea agri Falerni parte, quae anno CCCCXIV p. U. c. nondum divisa inter oram maritimam et viam Appiam ad agrum Caedicianum usque patebat. Itaque *Sinuessa*[6]), in confinio duorum agrorum sita, mox Latii adjecti[7]), mox Campaniae[8]) fuisse dicitur, primum sine dubio colonia[9]), postea vero oppidum muro munitum[10]). *Ager* enim *ejus* teste Balbo[11]) *in jugeribus limitibus intercecivis militibus* erat *adsignatus*; *iter* sive solum et cura[12]*)* viae publicae *populo non* debebatur[13]). Ceterum Sinuessa, quae IX millia passuum[14]) distabat a Minturnis sive Liri[15]), erat ubi

1) p. 25 et p. 259.

2) H. N. II, 93, s. 95, 207; cf. et Jul. Frontin. de colon. p. 326 et p. 362. (Agrim.)

3) Liv. X, 21, 7. *Itaque placuit* (anno CCCCLVIII) *ut duae coloniae circa Vescinum et Falernum agrum deducerentur, — altera — ubi Sinope dicitur Graeca urbs fuisse, Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata.* Vell. I, 14. *Q. Fabio quintum, Decio Mure quartum Consulibus, quo anno Pyrrhus regnare coepit, Sinuessam Minturnasque missi coloni.*

4) Sunt verba Livii X, 21, 8.

5) De agro Vescino cf. Cluver. Ital. ant. III, 10 T. II, p. 1082.

6) De Sinuessa vide Cluver. l. l. p. 1079 et Pratill. de via App. p. 167. Quod Cluverius dicit p. 1080 Sinuessam fuisse inter mare et Massicum montem in angustiis, quae *Lautulae* nominatae essent, in eo erravit.

7) Plin. H. N. III, 5, s. 9, 59. *Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio, quam quidam Sinopen dixere vocitatam;* quibuscum consentiunt Strabo V, 3, 4, 5 et Pompon. Mel. II, 4, 9.

8) Polyb. III, 91, 4 et Plin. H. N. XXXI, 2. *In eadem Campaniae regione Sinuessanae aquae.*

9) Liv. X, 21, 8 et XXXVI, 3, 6.

10) Balbus de colon. I, p. 237, qui eam in coloniis Campaniae recenset, *Sinuessa oppidum muro ducta;* ubi cf. Mommsen T. II p. 183 et 185 et Rudorff ibid. p. 324 sqq. et p. 328. Quamobrem Plinii locus (III, 5, s. 9, 9) Silligio suspectus esse non debebat.

11) De colon. l. l.

12) Mommsen Inscr. p. 333.

13) Rudorff ad Agrimens. T. II p. 400.

14) Tab. Peuting. in Recueil p. 32 et 210 ed. Urban et Itiner. Anton. nr. 108, 4 et Hierosolym. 611, 7. Ibidem Lapie l. l. p. 210 Sinuessam CIX (immo CVIII cf. supra p. 13) millia passuum a Roma remotam fuisse dicit Mommsen, qui Inscr. p. 335 habet CV pro CVIII, recte cippum milliarium CXXVIII ad Casilinum statuit.

15) Plin. H. N. III, 5, s. 9. *Est colonia Minturnae Liri amne divisa Clani appellato;* quibuscum cf. Liv. X, 21, 8. *Una ad ostium Liris fluvii, quae Minturnae appellata.*

nunc est *li Vagnoli*, ut Urban[1]) et Lapie recte statuunt, in ora maritima[2]) duo millia passuum Caurum versus a castello Mondragone[3]), quod et ipsum Sinuessae pars olim fuisse male fertur[4]). *Ingentia veteris urbis vestigia portusque ruinas — conspici sub marinis undis* illius regionis testatur Cluverius[5]). Ager autem Sinuessanus inde ab oppido ipso ad milliarium usque CXIV porrectus fuisse videtur.

In agro Sinuessano, qui vinum inter Massica laudatum proferebat auctore Martiale[6]), *de Sinuessanis venerunt Massica prelis*, erat locus, *Petrinum*, ab Horatio[7]) commemoratus: *Vina bibes iterum Tauro diffusa palustres inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum.* Is ab interpretibus Horatii[8]) aliisque pro monte Sinuessae imminente, nunc Rocca di Mondragone, habetur; sed vicus erat agri Sinuessani ad flexum viae Appiae et Domitianae, ut supra conjecimus. In eadem parte agri Sinuessani et Q. Lepta Ciceronis amicus[9]) fundum possidebat, ubi Cicero anno DCCVIII p. U. c. aliquamdiu commoratus est. Ex Horatii autem verbis colligere licet vinum Petrinum mediocre quidem, sed satis bonum fuisse[10]), quale in solo calcario gignitur.

Laudatur a Strabone, Athenaeo, Plinio praeterea vinum *Statanum*, cujus solum natale se nescire Peregrinus[11]) fatetur, neque alius constituit; id vero, ad vina Massica sine dubio pertinens, in declivibus locis Massici, cujus media pars, Euronotum versus spectans, fortasse *Statana* appellabatur, juxta Pratonis ripam dexteram natum fuisse videtur. Etenim *Massicum vinum* nomen est commune[12]), quod species omnes vinorum ad Massicum

---

1) l. l. p. 210.

2) Polyb. III, 91, 4. *Τὴν μὲν γὰρ παραλίαν αὐτῶν Σινυεσσανοὶ καὶ Κυμαῖοι καὶ Δικαιαρχῖται νέμονται.*

3) Cluver. It. ant. III, 10 p. 1080 et Forbiger Handb. d. alt. Geogr. T. III, p. 711 sq.

4) Sic volunt Sanfelicius de situ ac orig. Campan. in Graev. Thes. T. IX P. 1 p. 1, Blainville Reisebeschreib. v. Ital. übers. v. Köhler T. III P. 1 p. 493, Mannert et Guillaume.

5) l. l. p. 1080.

6) XIII, 111, 1.

7) Epist. I, 5, 5. *Apud Petrinum Suessanum* (sic) inscriptionem se invenisse dicit Apianus (cf. Mommsen Inscr. nr. 4021), sed ubi Petrinum fuerit a neutro additum est. Reichardus Petrinum inter Suessam et Trifanum collocatum habet.

8) Schol. Cruq. *Petrinus mons est Sinuessanae civitati imminens vel ager Sinuessae vicinus*, recte vituperatus a Cluver. l. l. p. 1082. Melius explicat Porphyrion: *vicus et locus in agro Falerno.* Jovianus Pontanus Petrinum pro oppido habuisse fertur, cujus reliquiae in loco, qui dicitur Rocca di Mondragone, supersint. Pratillius l. l. p. 238 sq. Petrinum villulam, quam *prope montem Draconis sitam* vel seculo XI a Richardo principe Capuae commemorari ait, inter viam Appiam et oram maritimam meridiem versus a Sinuessa fuisse censet. J. de Re Descriz. T. I p. 292: *Sul monticello appie del Massico verso mare.*

9) Cic. Epist. ad Fam. VI, 19, 1. *Nec ea re Petrinum tuum deseram; nam et villa et amoenitas illa commorationis est, non deversorii.* Idem XII, 20 nominat *deversoriolum Sinuessanum*; cf. ad Attic. XIV, 8. XV, 1. Pratillius l. l. p. 241 eam villam mille passus a Mondragone prope ad Falciano, quod nunc dicitur, fuisse statuit.

10) Dicit enim *vina palustres inter Minturnas Sinuessanamque Petrinum* contermina optimis Formianis et Falernis; cf. Od. I, 20, 10.

11) De Camp. III, 4 p. 379.

12) Virg. G. II, 143. *Bacchi Massicus humor*; III, 526. *Massica Bacchi munera*; Aen. VII, 726. *vertunt felicia Baccho Massica qui rastris.* Horat. Od. I, 1, 19. *Est qui nec veteris pocula Massici spernit* etc. Martial I, 27, 8. *Egerit et nigros Massica cella cados*; III, 49, 1. *Veientana mihi misces, tu Massica potas.* J. H. Vossius

montem genitorum complectitur, *Sinuessanum, Petrinum, Statanum, Faustianum, Falernum*, quemadmodum et *Massicus ager* pro *Falerno* dicitur[1]. Hinc fit ut, dum Virgilius, Horatius, Martialis[2] *Massica* vina praeter Falerna laudant, alii Massicorum nullam faciant mentionem, *Statanum* autem tanquam optimum ex eo genere praedicent; ita Dionysius Halicarnassensis[3], Strabo[4], Galenus[5], Athenaeus[6], Dioscorides[7], Oribasius[8]; solus Plinius[9] Massica juxta Statanum commemorat, hoc ceteris Massicis praeferens. Locum vero Statanis vineis juxta lacum Carinolensem, in declivibus Massici montis *Caroni* usque assignavi propter verba Plinii[10], qui *Falerno contermina Statana* fuisse dicit, quod et Strabo[11] quodammodo confirmat, vinorum Campaniae genera ita recensens, ut in tribus, Falerno, Statano et Caleno, conjunctis Statanum post Falernum, sed ante Sinuessam oppidum commemoret. Accedit, quod vinum Statanum Falerni simillimum fuisse dicitur[12], sine dubio propter eandem soli tofacei indolem, in quo ex mea descriptione aeque ac Falernum natum fuisse videtur. Ager Statanus erat, ni fallor, ubi nunc est *Falciano a monte* et *a basso*, quae loca alii falso pro agro Faustiano habent[13]. In eodem loco etiam postea, seculo XVIII, vinum nobilissimum, cui nomen esset *Razzese* vel *Apianum*, natum fuisse Harduinus testatur[14]. Ceterum vinum Statanum, quod cum Statoniensi Etruriae[15] commutari non debet, in optima vina

---

contra ad Virg. G. III, 526 Massicum speciem esse vini Falerni contendit.

1) Columell. III, 8, 5. *Neque enim dubium est, Massici Surrentinique — agri vites omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes esse.* Similiter Sil. It. VII, 207. *Uviferis late florebat Massicus arvis.*

2) Lib. XIII, 109—125 vina optima laudat, in his 111 *Massica*, alibi saepissime *Falerna*, nunquam *Statana*.

3) XIV, 12.

4) V, 3, 6; 4, 3.

5) de method. XII, 4 p. 831.

6) I, 48 p. 26. *Ὁ δὲ Στατανὸς* (al. male *Σητινός*, cf. Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 64 et XXIII, 1, 21) *τῶν πρώτων ἐστὶν οἴνων ἐμφερὴς τῷ Φαλερίνῳ, κουφότερος, οὐ πληκτικός.* Ibidem paullo post Peregrinus quidem de Camp. II, 17 p. 174 *ὁ Μασσικὸς* pro *Μαρσικὸς* scribere vult, sed recte se habet *Μαρσικός*, ut seqq. *πάνυ αὐστηρὸς εὐστόμαχος δὲ* ostendunt; cf. Galen. de method. XII, 4 p. 831 et Scribon. Larg. c. 56. Etiamnunc Marsicum vinum (Marsico-Vetere) gigni dicit Zuccagni-Orlandini in Corograph. T. XI p. 405.

7) De mat. med. V, 10, 1.

8) Collect. Med. V, 6, 39.

9) H. N. XIV, 6, s. 8, 64. *Certant Massica atque e monte Gauro Puteolos Baiasque prospectantia; nam Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie* etc.

10) H. N. l. l.; huc tamen non referenda sunt verba Plinii XXIII, 1, 21. *Ab his* (Surrentino, Albano, Falerno) *Statana non longo intervallo absfuerint*, quae ad discrimen bonitatis spectant.

11) V, 4, 3 p. 243. *Καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν (ἐκ Καμπανίας) ἔχουσι Ῥωμαῖοι τὸν Φάλερνον καὶ τὸν Στατανὸν καὶ Καληνόν*; et V, 3, 7 p. 234. *Ὁ δὲ Καίκουβος καὶ ὁ Φουνδανὸς — τῶν διωνομασμένων εἰσί, καθάπερ ὁ Φάλερνος καὶ ὁ Ἀλβανὸς καὶ ὁ Στατανός· ἡ δὲ Σινόεσσα κ. τ. λ.*

12) Cf. Athenae. I, 48 p. 26 (supra not. 5).

13) Hardnin. ad Plin. XIV, 6, s. 8, 63, Martinière Lexic. Geogr. T. IV p. 1462 et Henderson Hist. of ancient and modern wines p. 84.

14) ad Plin. l. l.; Pratill. p. 238 id in Rocca de Mondragone nasci dicit.

15) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 67.

relatum, erat leve capitique nil nocebat[1]), sed Caleno et Fundano postponebatur, certe ante Plinii aetatem[2]).

Cum colonis Sinuessanis conjunctim commemorantur *Caediciani* in monumento[3]), quo *L. Papius* quidam *colonis Senuisanis et Caedicianeis*[4]) *omnibus munus gladiatorium* legasse dicitur, ita ut eorum agros conterminos fuisse appareat. Jam quaeritur, ubinam se attigerint, quum Caedicia in tabula Peutingeriana non appareat. Vulgo *Caedicium campum* inter Minturnas et Sinuessam in Vescino agro fuisse contendunt[5]) idque Plinii testimonio[6]) comprobare student, qui narrat *proximum* — caseum *urbi Vescinum eumque e Caedicio campo laudatissimum.* Sed apud Plinium pro *Vescinum,* quod Cluverius[7]) correxerat et Cod. Toletanus solus habet, restituendum est, ut Silligius recte fecit, *Vestinum;* nam Vestinus caseus, non Vescinus erat laudatissimus, quod Martialis[8]) docet: *Si sine carne voles jentacula sumere frugi, haec tibi Vestino de grege massa venit.* Deinde neglexerunt, quod inter Minturnas et Sinuessam Livio[9]) teste jam *Trifanum* fuit, ita ut ibidem ager alius oppidi non facile fuerit. *Caedicia*[10]), ut jam Peregrinus[11]) conjecerat, sed non probaverat, inter Sinuessam potius et pontem Campanum erat sita, ubi nunc est *Ceppani*[12]), ad milliarium CXIV viae Appiae. Plinius enim[13]) ait IV milliaria sive tria millia passuum a ponte Campano et sex millia a Sinuessa fuisse vicum. Is sine dubio erat ad viam Appiam, ut v. *milliaria* apud Plinium indicat. Neque probabile est, in tanta agrorum fertilissimorum planitie, quae a Sinuessa ad pontem usque Campanum IX millia passuum patet, nullam fuisse coloniam oppidumve. De nomine sane dubitari potest; et fuerunt qui apud Plinium l. l. *Caedicias* pro *Caedias* scriberent[14]),

---

1) Athenae. l. l.

2) Plin. H. N. XIV, 6. s. 8, 65. *Juncta his* (Statanis) *praeponi solebant Calena et — Fundana.*

3) Inscript. apud Gruter. p. 23, 4 et p. 448, 4 (apud Mommsen nr. 4021).

4) Apian. male legerat *Cedianeis*, Ligorius *Saedicianeis.* Forma *Caedicianus* legitur et in alia inscriptione apud Mommsen nr. 79, 11 et *Ceditianus* apud Martial. VIII, 52, 5.

5) Peregrin. Camp. II, 8 p. 97, Pratill. l. l. p. 241 et J. de Re in Descriz. T. I p. 293. *Caeditiae tabernae poco lungi della Torre de' Bagni; Caeditii agri all' intorno di Mondragone.*

6) H. N. XI, 42.

7) Ital. ant. III, 10 p. 1083 idque probavit Peregrin. l. l. II, 8 p. 95 sq. Male et alium Plinii locum H. N. III, 5, s. 9, 60 Peregrinus Camp. II, 1 p. 74 ad campum Caedicium traxit: *Hinc Setini et Caecubi protenduntur agri; his junguntur Falerni et Caleni, dein consurgunt Massici, Gaurani Surrentinique montes,* ubi *Vescini et Caeditii protenduntur* scripsit, quum non intelligeret a Plinio agros montesque non nisi vino excellentes enumerari.

8) XIII, 31 cum lemmate *caseus Vestinus.*

9) VIII, 11, 11. *Consul ad Trifanum, inter Sinuessam Minturnasque is locus est, occurrit.* Secundum Pratill. de via Appia p. 165 tres duosve lapides a Sinuessa, sex a Minturnis aberat.

10) *Caedicia* nomen est proprium a *Caedicus*, ut *Q. Caedicii* CSS. CCCCLXV et CCCCIIC atque *Caedicius* judex iste gravis apud Juvenalem XIII, 197.

11) Campan. II, 8 p. 95 sq. et 10 p. 107, ubi Caedicium agrum inter Falernum et Sinuessam fuisse dixit.

12) Reichard in orbe terrarum *Cedium* habet septentrionem versus a Massico.

13) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

14) Duker. not. ad Peregrin. l. l. p. 108, Osannus noster in Zeitsch. f. Alt. 1850 p. 215 et inde Sillig.

ut tabernae a Festo s. v. laudatae intelligantur, quod nisi v. *tabernas* addas fieri non potest. Sed quum *Caedicii* et *Caediani*[1]) aeque ac *Caediciani* in libris monumentisque commemorentur, et *Caedicii* atque *Caediani* secundum analogiam linguae ex eodem v. *Caediarum* repeti possint[2]), neque verisimile sit duos vicos ejusdem fere nominis *Caedias* et *Caediciam* eodem fere loco juxta positos fuisse, apud Plinium nihil est mutandum et *Caediae* atque *Caedicia*, ut jam Peregrinus voluit[3]), pro nominibus ejusdem loci habenda, quae temporis decursu commutata sunt. Caediis enim erant *Caediciae tabernae*, ut Festus ait s. v., *in via Appia*, non *domini nomine vocatae*, ut idem Festus addidit, sed quoniam ad *Caedias*[4]) sive *vicum Caedicium* pertinebant. Quae quum propter vina Falerna ibi prostantia vico plus innotuissent, factum est ut nomen *Caediarum* post Plinii aetatem paullatim obliteratum in *Caediciam* abiret et incolae inde *Caediciani* nuncuparentur. Cujus rei testis est Balbus, qui in libro I coloniarum, ubi de civitatibus *Campaniae* agit, *Caediciae*[5]) oppidi (ita enim ibi est scribendum pro *Cadatia*) facit mentionem. *Caedicia* autem cum tabernis suis condita ad viam Appiam, arva et pascua regionis Falernae ex parte dirimentem, habebat et *agrum*[6]) septentriones versus spectantem ad vites colendas et *campum*[7]), qui in Austrum vergebat inter milliarium CXIV et CXVII ad rem pecuariam faciendam. Olim colonia, ut Sinuessa, postea oppidum[8]) lege *Graccana est munitum; ager enim ejus, veteranis adsignatus; neque iter populo debitum.* Ibidem et vites fuisse cultas ex inscriptione apparet, in qua vinea Caediciana[9]) commemoratur, sed ubi ager vitifer fuerit, non constat; qua de re postea dicetur, ubi de agro Faustiano disseremus.

Caediciam multis seculis post dictam fuisse *Ciliiam* Peregrinus[10]) ex chronico S. Vincentii Volturnensis colligit, sed in situ ejus oppidi definiendo, quod extra viam Appiam fuisse contendit, aperte errat. Neque in eo loco, qui nunc *civita rotta* dicitur, reliquiae Caediarum sive Caediciae inquiri debent.

---

1) *Munatia Caediana* in titulo Venafri reperto apud Mommsen nr. 4638 et *L. Fadius Caedianus*, cui Caedia mater monumentum, Allifis repertum, fecerat; cf. Gruter. Inscr. p. 409, 1 et Mommsen nr. 4767.

2) Ut dicitur *Albicius, Crassicius, Decitius, Fuficius* ab *Albius, Crassius, Decius, Fufius;* sic *campus Caedicius* a *Caediis* vico nomen traxit.

3) De Campan. II, 10 p. 107 sqq., qui tamen Caediciam posthabita Festi auctoritate extra viam Appiam posuit et in numeris, quos Plinius XIV, 6, s. 8, 62 habet, aperte erravit.

4) Peregrin. II, 8, p. 95 maluit a *Caediis* quam a *vico Caedicio* repetere et a Dukero propterea ibid. p. 96 vituperatur, sed immerito; res enim ad idem redit.

5) Agrimensor. p. 233 ed. Rudorff. Neque *Calatia* scribendum, quod oppidum ibidem laudatur.

6) Agrimens. l. l.

7) Plin. H. N. XI, 42.

8) Balbus in Agrimens. p. 233.

9) M. Meconius quidam *vineam Caedicianam*, *quae est Aminea, cum parte fundi Pompejani* Augustalibus legavit; Mommsen Inscript. nr. 79, 11 et 29.

10) Campan. II, 10 p. 107 sq. Locus ex Chronico Vincentii laudatus ad rem seculo X exeunte gestam pertinet.

Ad regionem Falernam porro pertinebat *campus Stellatis*[1], qui et *ager*[2] sed raro dicitur, vel propter ambitum variasque ejus partes *campi*[3] *Stellates* Nomen suum inde accepisse videtur, quod jugera campi, inter colonias distributi, stellis sive terminis erant signata; *stellae* enim non solum locis inauguratis, ut ait Festus[4], infigi, sed etiam in terminatione Gajo auctore[5], ut pali terra cooperti invenirentur, consecrari solebant. Is campus[6], cujus situm nonnulli[7] male descripserunt, partem australem illius regionis continens intra viam Appiam et Volturnum fluvium ad maris usque litora intra milliarium IV—XV a Capua proficiscenti patebat. Conterminus[8] agro Falerno aliisque coloniis septentrionem versus, et ab agro Campano meridiem versus Volturno flumine sejunctus[9], a compluribus secatur rivis fontibusque, qui irrigantes pascua ejus laeta reddunt, ita ut armenta gregesque[10] sibi pabula inde largissima carpant. Quamquam pars erat regionis Falernae et cum ea anno CCCCXIV p. U. c. in ditionem Romanorum venerat[11], tamen retinuit nomen suum neque, ut ager Falernus, plebi Romanae divisus est, sed publicus compascuusque pro parte fere omnibus ejus regionis coloniis atque consecratus[12] diis ideoque inaratus diu mansit. Primus Corn. Sulla post annum DCLXXIII a. U. c. partem ejusdem campi militibus legionariis distribuit; deinde Sullae exemplum secutus Jul. Caesar, postquam P. Servilius Rullus tribunus plebis anno DCXC p. U. c. legem agrariam frustra rogaverat, anno DCXCV p. U. c. totum Stellatem campum agrum-

---

1) Possis corrigere *Stellatus*, stellis conspersus; sed *Stellatis*, quo Cic. Agrar. II, 31, 85 utitur nominativo, antiquior est forma, ut *cuiatis* vel *qoiatis* pro *cuias* apud Plaut. Poen. Prol. 109 et V, 2, 33. Casus rectus *Stellas* non legitur; sed eadem ratione atque *Ardeas*, *Ravennas* etc. dictus esset, si a *Stella*, loco Campaniae, quem Gudius solus apud Gruter. Inscr. p. 1085, 3 nominat, descenderet; cf. C. L. Schneider Gramm. Lat. p. 161.

2) Liv. X, 31, 5, qui eundem aliis in locis *campum* nominat, et Jul. Obseq. Prodig. 73. 97. ‚*Campus* plerumque dicebatur sine dubio propter plana et demissa ejus loca, distinctus ab agro et montibus.

3) Liv. X, 31, 12 et Sil. It. XI, 266.

4) s. v. *stellam* p. 268 Lind. *Quae ex lamella aerea, adsimilis stellae, locis inauguratis infigatur.* Campus autem Stellatis consecratus erat diis; cf. infra not. 12.

5) p. 307, 6 Agrimens., quocum cf. Theodosium ibid. p. 346, 9 et quae Rudorff monet T. II Agrimens. p. 336 not. 372.

6) Disseruit de campo Stellate Cluver. Ital. ant. IV, 5 p. 1172 sq. et Peregrin. l. l. II, 33 p. 305.

7) Sanfelicius de situ Campan. l. l. p. 1 dicit esse *l territorio di Carinola, il qual confina con il territorio de Tiano a la Rocca di Mondragone.* Volaterranus voluit esse campum, qui dicitur *Mazo* vel *li Mazzone*, ad sinistram Volturni ripam inter Capuam et oram maritimam (cf. Peregrin. II, 33 p. 307 et III, 2 p. 367, quem sequitur J. de Re in Descriz. T. I p. 294); Cluver. l. l. cum ultra Calliculam, qui agrum Falernum a septemtrione clauserit, fuisse contendit. Meliora habet Peregrinus l. l. p. 322. *Ad dextram viae Appiae mari praetendebatur campus Stellas;* sed, ut alii, campum illum justo amplioribus circumscripsit finibus. Neque Cellarius p. 86 recte dicit: *Stellatis ager omnibus Volturno et Savone inclusus.*

8) Horat. Ep. 4, 13 sq.

9) Unde fit, ut campus Stellatis agri Campani esse dicatur a Liv. IX, 44, 5 et uterque interdum conjunctim nominetur; cf. Cic. Agrar. I, 6 et II, 31 fin.

10) Greges in agro Stellate pabulatos fuisse apparet ex Jul. Obsequent. Prodig. 73.

11) Liv. VIII, 11, 12 et 13.

12) Sueton. Caes. 20. *Campum Stellatem* (a) *majoribus consecratum* (diis) *agrumque Campanum ad subsidia reipublicae vectigalem relictum divisit*; cf. Vellei. II, 44, 4; Appian. de Civ. II, 10 et Dio Cass. XXXVIII, 1.

que Campanum ex lege Julia veteranis *divisit*[1]) *extra sortem ad viginti millibus civium.* Ex quibus apparet eum campum, qui in locis demissis et palustribus nonnisi pascua cumulosque arenarum[2]) habebat, eamque ob rem agro Campano deterior[3]) aestimabatur, ad vites colendas minus aptum fuisse neque vina olim genuisse. *Stellatina* vero *tribus* rustica, ut jam Festus[4]) monuit, nomen suum non ab hoc Stellate campo habet, quamquam Allifani, Caudini, Beneventani aliique finitumi ei adscripti erant[5]), sed a Stellate agro Etruriae prope Capenam, quod et temporum ratio evincit, quum ager Stellatis Campaniae, quo tempore tribus Stellatina constituta est[6]) (anno CCCLXVII p. U. c.), a Romanis nondum expugnatus esset.

Tum ad viam Appiam[7]), quae limitis instar agros fere omnium ejus regionis colonorum a campo Stellate separabat, colonia erat *Urbana*[8]), III millia passuum[9]) a ponte Campano, haud longe a virgultis, quae nunc *lo Frascaro* dicuntur[10]). Condita erat[11]) ex legibus agrariis Cornelii Sullae tunc, quum Nola recepta non solum ejus urbis sed etiam aliarum agri capti, qui erant publici necdum divisi[12]), legionibus distributi sunt[13]), unde et *Sullanae*[14]) nomen accepit. Eadem colonia postea Plinii aetate Capuae contributa est[15]), sed nomen paulum immutatum *ad Urbanas* servavit, quod in tabula Peutingeriana apparet et Peregrino auctore[16]) etiam seculo nono post Christum mansit. In colonia Urbana vinum leve natum fuisse, quod quinquenne ad potum fuisset aptum, sibi cum Hermolao persuaserat Schweighaeuserus ad Athe-

1) Sueton. l. l.

2) Ad hanc regionis Falernae partem verba pertinent Plutarchi Fab. Max. 6. *Ἔστι δ' ἡ χώρα τὰ μὲν ἄλλα περιστεφὴς ὄρεσιν, αὐλὼν δ' ἀναπέπταται πρὸς τὴν θάλατταν, ἔνθα τὰ ἕλη καταδίδωσι τοῦ ποταμοῦ περιχεομένου καὶ θῖνας ἄμμου βαθείας ἔχει, καὶ τελευτᾷ πρὸς αἰγιαλὸν κυματώδη καὶ δύσορμον.*

3) Cic. Agrar. II, 31 fin. *Adjungit* (Rullus) *Stellatem campum agro Campano et in eo* (Stellate) *duodena describit in singulos homines jugera* (ut nequeunt dena agri Campani). *Quasi vero paullum differat ager Campanus ac Stellatis.*

4) Fest. v. *Stellatina* p. 263. *Stellatina* tribus dicta non a campo eo, *qui in Campania est, sed eo qui* parum abest ab urbe *Capena, ex quo Tusci profecti* Stellatinum eum campum *appellaverunt;* cf. Peregrin. de Campan. II, 33 p. 310.

5) Mommsen Inscr. p. 456.

6) Liv. VI, 5, 8.

7) Campum Stellatem juxta viam Appiam fuisse colligitur ex Jul. Obseq. de prodig. 97.

8) Cf. de ea Peregrin. II, 35 p. 333 et Pratill. p. 245.

9) Tab. Peuting. et Lapie, qui intervallum emensus comprobavit.

10) Errat Fortia d'Urban in Recueil des Itinér. p. 210, qui *Urbanam* hodiernum *Cimbrisco* sive *Ciambrisco* et mansionem *ad Nonum*, quam ad sinistram Savonis ripam descripsit, nostra aetate *la Posta* esse dicit; erravit et J. de Re in Descriz. T. I p. 292 dicens: *Urbana tra Mondragone e Capua di qua del fiume Savone; Ad Octavum nel quadrivio da Calvi per Sparanise; Ad Nonum nel quadrivio da Teano per Francolise.*

11) Disserit de ea Cluver. It. antiq. p. 1178.

12) Appian. B. C. I, 100. *Σύλλας τέλεσι τοῖς ὑπὲρ ἑαυτοῦ στρατευσαμένοις τρισὶ καὶ εἴκοσιν ἐπένειμεν — πολλὴν ἐν ταῖς πόλεσι γῆν τὴν μὲν ἔτι οὖσαν ἀνέμητον κ. τ. λ.* Quibuscum conferas Cic. Agrar. II, 26 et III, 2, 3, ubi campus Stellatis significatur.

13) Liv. Epit. 89.

14) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

15) Plin. l. l.

16) Apud Pratill. l. l. p. 246.

naeum[1]), sed ex conjectura, quae probari nequit. Ager Urbanus intra milliarium IX—XII a Casilino venienti patens septentrionem versus Calenum attingebat. Inscriptiones autem duae, quae repertae esse dicuntur vel prope Urbanam, vel in reliquiis Urbanae[2]), et quarum in altera Vibulus quidam Stellatinus, praefectus alimentorum et decurio coloniae Urbanae, aquarum cursus restaurasse fertur, de sententia Mommsenii suspectae sunt.

Tria millia passuum[3]) ab Urbana abest ad eandem viam Appiam mansio *ad Nonum*[4]), quam Peregrinus[5]) ubi nunc *Cancello*, alii[6]) ubi *S. Clemente*, alii[7]) ubi *à l' Est de la Posta* sit, fuisse dicunt; sed mansio, ut locorum intervallum in tabula geographica ostendit, haud procul potius erat a loco, qui nunc dicitur *Brezza*. Pro *Nono* postea *mutatio ad Octavum*[8]) substituta est, quam solum Itinerarium Hierosolymitanum habet, quum octo millia passuum a Capua abesset. Ager ejus conterminus Caleno septentrionem versus et propterea latior quam longior intra milliarium V—IX porrigebatur. Geographus Ravennas neque *ad Nonum*, neque *ad Octavum* commemorat.

Praeterea Peregrinus[9]) cum aliis[10]) etiam *Forum Popilii* haud procul a Casilino in campo Stellate fuisse recte censet. Etenim Plinius[11]) in *oppida* Campaniae id Forum refert cum verbis *ex Falerno* additis, quibus id nimirum ab aliis[12]) oppidis ejusdem

---

1) I, 48 p. 27 f. *Γίνεται δὲ καὶ περὶ τὴν Καμπανίας Κύμην ὁ καλούμενος Οὐλβανός, κοῦφος, πότιμος ἀπὸ ἐτῶν πέντε;* in quibus Hermolaus *Οὐρβανόν* scripsit, sed v. *Κύμην* obstat. *Οὐλβανός*, quod ab *ulva* repetendum videtur, vinum fortasse significat in locis demissis circum Cumas natum, oppositum Gaurano, quod in monte Gauro ibidem ortum Athenaeus paullo ante commemoravit. Vindemiam Cumanam Acherusiae celebratam in diebus festis commemorat feriale apud Mommsen Inscr. nr. 3571.

2) Pratillius l. l. p. 246 et apud Mommsen Inscr. fals. nr. 642 et 644. Cf. et Mommsen nr. 3636.

3) Fortia d' Urban l. l. p. 210 ex tabula Peutingeriana.

4) Supplenda sunt *milliarium a Capua proficiscenti*. Locus, ejus nominis unus, in tabula Peutingeriana cum turribus et moenibus cinctus est, ita ut pro colonia vel certe pro oppido haberi possit; cf. Rudorff ad Agrimen. T. II p. 320. Plura de eo habet Pratill. p. 249 sq.

5) Camp. II, 35 p. 334, qui viam Appiam per campum Stellatem haud procul a Volturno fluvio fuisse bene ratus, *ad Nonum* tamen in quadrivio Appiae et Teanensis fuisse sibi persuasit.

6) Guillaume, eandem opinionem de via Appia atque Peregrinus habens, in Itiner. Anton. ed. Parthey p. 364 v. *ad Octavum*.

7) Lapie et Fortia d'Urban l. l.

8) Cf. Itinerar. Hierosolym. 611, 4 p. 287 ed. Parthey et p. 192 ed. Urban. Cluverius l. l. p. 1173 sq. duplicem mansionem ex eo explicare studet, quod Romani sub imperatoribus, minora circa urbes milliaria dimensi, computationem immutassent; cf. eundem p. 1177. Peregrinus l. l. *Mutationem ad Octavum* in quadrivio Appiae et Calenae, et praeterea *ad Nonum* mille passus citra, male constituit; quem secutus est Dom. Romanelli in Antica Topogr. istor. del regn. di Napoli T. II p. 510, sed recte id admiratus, quod mansiones adeo in propinquo positae essent.

9) Camp. II, 35 p. 329 sqq.

10) Mommsen Inscript. p. 202 et Kiepert in tabula geogr. eidem libro addita.

11) H. N. III, 5, s. 9, 64.

12) Fuerunt tria oppida eodem cognomine, *Forum Popilii* vel *Pompilii*, quod Plin. H. N. III, 15, 20 habet, in Gallia Cisalpina, hodie *Forlimpopoli*, alterum *Forum Popilii*, a Dionysio Hal. Ant. I, 21 laudatum, in Lucania ad viam Popiliam, hodie non *Pala*, ut Reichard et Zuccagni-Orlandini volunt, sed *la Polla*, prope a S. Pietro (cf. Fortia d'Urban et Lapie l. l. p. 213), et tertium, de quo supra sermo est, quod Cluver. It. ant. T. II p. 908,

nominis distinguere[1]) voluit. Accedit quod et Ptolemaeus[2]) idem oppidum in civitatibus Campanorum mediterraneis commemorat, ita tamen ut, quod latitudinem et longitudinem attinet, inter Casilinum et Capuam, ad laevam Volturni ripam orientem versus a Casilino situm[3]) fuerit. Sed quum in praedio regionis *Maiorise*, mille fere passus a Volturno, ad dextram viae Appiae Sinuessam a Casilino petentibus, titulus[4]) pertinens ad gentem Minucianam repertus sit, quam, ut alter docet titulus[5]), populus Foropopuliensis statuis *loco celeberrimo patriae* positis honoravit, Forum Popilii inter Casilinum et mansionem *ad Nonum* vel *ad Octavum* fuisse statuendum erit. Et conditum erat eodem loco[6]), quo titulus ille est detectus, sive ubi via Latina in Appiam mille passus a Casilino incidit[7]). Inde explicandum, quod titulus, quem laudavimus, statuas Minuciorum *in loco celeberrimo* sive in trivio Appiae et Latinae, inter Cales et Capuam et Sinuessam, positas fuisse indicat. Neque obstat nimis breve, quod inter Forum Popilii et Casilinum oritur intervallum, quum sane in tota Peutingeri tabula nulla inveniatur mansio mille passuum[8]); sed constitutum est Forum Popilii *morientibus* demum Casilini *reliquiis*[9]) sub Vespasiano, qui praeter alias colonias Campaniae, Abellam[10]) et Nolam[11]), hanc quoque deduxit eique agrum Casilinatem Caleno septentriones versus contiguum inde a milliario V ad Calliculam usque adsignavit. Id colligimus ex verbis Balbi[12]): *Forum Popilii oppidum muro ductum; iter populo debetur ped. XV. limitibus Augusteis*[13]) *ager ejus in jugeribus est adsignatus; nam imperator Vespasianus postea lege sua agrum censeri jussit.* Etenim, ut idem Balbus ait[14]), *territoria — prout quis occupavit posteriore tempore, censita sunt et et possidenti adsignata, ab imperatore Vespasiano censita ex jussione;* censeri autem sive in agros gammatos et scamnatos[15]) dividi solebant, quando vel vicus exscindebatur[16]), vel

loco Plinii III, 5, s. 9, 64 male distincto in errorem inductus, in monte Albano fuisse dicit.

1) Eodem modo Plinius dicit ibidem: *qui ex agro Latino — cognominantur.*

2) Geogr. III, 1, 68.

3) Ibid. *Κασιλῖνον* $\overline{\lambda\vartheta}$ *δ'. μα γ'* (39° 15′ long. et 41° 10′ lat.), *Τρηβοῦλα* $\overline{\lambda\vartheta}$ *λβ' μα L'* (39° 35′ et 41° 30′), *Φόρος Ποπλίου* $\overline{\lambda\vartheta}$ *λ*[illegible] *μα δ'* (39° 33′ et 41° 15′), *Καπύη μ μα γ'* (40° 41° 10′), in quibus numeri ad Casilinum pertinentes fortasse corrupti sunt.

4) Peregrin. l. l. p. 330 et Mommsen Inscript. nr. 3902. Ibidem et lapis repertus fuisse dicitur, qui viam a Caracalla restitutam esse indicat, et nunc est ad pontem Capuae; cf. Pratill. p. 25 et 258 et quae contra eum monet Mommsen nr. 6242; cf. et Pratill. p. 250.

5) Peregrin. et Mommsen ll. ll.: Inscr. nr. 3901: *C. Minucio Aeterio Sen* (i. e. Sinuessano) *industrio viro cunctus populus civitatis Foropopuliensium — statuam loco celeberrimo patriae — ponendam censuerunt.*

6) Hoc et Mommsen voluit l. l. p. 202.

7) Strab. V, 3, 9 p. 237; quocum cf. tabulam Peutingerianam, in qua via Latina in Appiam exiens conspicitur.

8) In Itinerario Hierosolymitano est una tantum mansio mille passuum nr. 609, 4 trans mare venienti.

9) Plin. H. N. III, 5, s. 9, 70.

10) Balb. de Colon. I p. 230 Agrim.

11) Balb. l. l. p. 236.

12) l. l. p. 233, ubi civitates Campaniae recensentur.

13) Sive terminis rotundis, quales aetate Augusti in usu erant; cf. Agrimens. T. I p. 401.

14) l. l. p. 211.

15) Balb. l. l. I p. 218 et Rudorff ad Agrim. T. II p. 290.

16) Rudorff l. l. T. II p. 290.

colonia condebatur. Id in agro Casilinensi factum esse videtur, quum oppido dilapso nova mansio in medio intervallo opus esset, ita ut altera pars agrorum Foro Popilii, altera Capuae[1]) adsignaretur. Alii de situ Fori Popilii aliter statuerunt; Pratillius[2]) id haud procul a ponte Riopersico sive taberna Francoliseana, Bischoff[3]) inter Trebulam et Capuam apud vicum, qui nunc dicatur *la Fossa*, et Forbigerus[4]) ad laevam Volturni ripam fuisse et a Capua Africum versus spectasse docent. Ceterum Forum Popilii etiam seculo quarto p. Ch. n. floruit[5]), sed postea dirutum est nec in tabula Peutingeriana apparet.

In extremis campi Stellatis finibus erat *Casilinum*[6]) ad Volturnum fluvium, quod similiter atque Sinuessa aditum ad regionem Falernam claudebat, conditum in ipso angulo, quem Volturnus facit, atque ita bene munitum, distans a mansione *ad Nonum* vel *ad Octavum* quinque millia passuum[7]) et a Capua tria millia[8]). Erat olim oppidum[9]) sive urbs[10]) in potestate Capuanorum, quod postquam anno CCCCXIV[11]) campoStellate ad dexteram Volturni ripam privatum et in praefecturae[12]) formam redactum est, agrum[13]) suum in sinistra[14]) ejusdem fluminis ripa habebat, ita ut Casilinates *pinguissima arva sua fertilissimosque campos moenibus suis subjectos intuerentur*[15]). Occupatum ab Hannibale et Campanis redditum[16]), a Marcello anno DXL expugnatum[17]) est. Postea ex legibus agrariis Corn. Sullae[18]) anno DCLXXIII novos accepit incolas et anno DCXCV, postquam dilapsum fuit, ex lege Julii Caesaris[19]) colonos civium Romanorum et veteranorum atque (nisi forte prius) agrum pristinum in dextera Volturni ripa.

---

1) De via App. p. 236 sq. Ibi in loco, qui dicatur *il campo pietre*, conspici affirmat reliquias oppidi, marmora, moenia etc. Eum sequitur J. de Re Descriz. d. Reg. delle due Sicil. T. I p. 294. *Forum Popilii ove diessi Campo delle Pietre verso Carinola.*

2) De via App. p. 257.

3) Lexic. geogr. s. v.

4) Handb. d. alt. Geogr. T. III. p. 742, ubi tamen Forum Popilii Campanum cum Lucanico (cf. p. 764 sq.) partim confunditur.

5) Inscriptio apud Mommsen nr. 3902 est anni CCCLXVII.

6) Cf. de eo Cluver. l. l. p. 1177 et Pratill. de via Appia p. 254 sqq.

7) Tab. Peuting. apud Urban. l. l. p. 210.

8) Tab. Peuting. l. l. et Strabo V, 3, 9 p. 237. *Κασιλῖνον πόλιν διέχουσαν Καπύης ἐννεακαίδεκα σταδίους.*

9) Liv. XXIII, 20, 1 et Vib. Sequest. v. *Casilinum.* In tabula Peutingeriana neque turres neque moenia habet.

10) Liv. XXII, 15, 4.

11) Liv. VIII, 11, 12. *Ager Falernus, qui populi Campani fuerat, usque ad Volturnum flumen plebi Romanae divisus erat.*

12) Fest. s. v. *Praefecturae* p. 204 Lind. ibique Dacier.

13) Hunc agrum Casilinatem Peregrinus de Camp. I, 5 p. 20 et II, 30 p. 284 Ciceroni Agrar. II, 25 restituere voluit, sed ordine locorum aperte turbato.

14) Liv. XXII, 15, 4. *Casilinum, urbs Volturno flumine dirempta, Falernum ac Campanum agros dividit;* cf. eundem XXIII, 17, 10 et Plutarch. Fab. Max. 6.

15) Valer. Max. VII, 6, 2.

16) Liv. XXIII, 20, 1.

17) Liv. XXIV, 20, 10.

18) Cf. supra p. 21 not. 12.

19) Vellei. Pat. II, 61. *C. Caesar a Casilino veteranos excivit paternos*; cf. et Cic. ad Attic. XVI, 8.

In eundem locum, quamquam urbs erat incolumis[1]), et M. Antonius anno DCCX *auspiciorum jure turbato* coloniam novam deducere ausus erat[2]), sed lex ab eo lata anno post est abrogata[3]). Vespasianus vero, ut antea dictum est, Casilini agrum, quum oppidi *morientes* essent *reliquiae*[4]), partim Capuae[5]), partim Foro Popilii recens conditae contribuisse videtur, quamobrem Casilinum neque a Balbo[6]) in libro coloniarum in numerum oppidorum Campaniae refertur, neque in Itinerario Antonini nominatur, neque in Hierosolymitano, sed apud Vibium Sequestrem[7]) et in titulo anni CCCLXXXVII p. Ch. n.[8]) et in tabula Peutingeriana; nomen Casilini suburbio septentrionali Capuae novae ad seculum usque XIV mansisse dicit Pratillius[9]), qui et ambitum veteris suburbii circumscripsit[10]). Loco ejus nunc *Nova Capua*[11]) condita est, secundum alios, qui Livii verba[12]) neglexerunt, *Taverna di Marotta*[13]), quae ad fossam *del Maltempo* bis millia passuum a Volturno abest; sed fortasse voluerunt *Tavernam* ad Volturnum intelligi. De cultura vinorum apud Casilinates olim facta nihil constat.

Agris quos dixi septentrionem versus contigua[14]) alia est pars regionis Falernae, *ager Calenus*[15]), qui inter collem Francoliseanum[16]) et radices Calliculae patens meridiem versus porrigitur. Nomen habuit a *Calibus*[17]) urbe antiquissima[18]) Ausonum, quae et *Cale*[19]) dicta VII millia[20]) passuum a Casilino distabat. Anno CCCCXIX p. U. c. a

---

1) Cic. Phil. II, 40. *Negavi in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci.*

2) Cic. l. l. *Tu — Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta,* ex lege agraria sive de coloniis in agros deducendis; cf. Cic. Phil. V, 4.

3) Cic. Phil. XIII, 15.

4) Plin. H. N. III, 5, s. 9, 70.

5) Urbanam certe coloniam *Sullanam nuper Capuae contributam* esse dicit Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

6) Possis sane Lib. I p. 232 *Casinum* Latinum, quod inter oppida Campaniae commemoratur, facili negotio in *Casilinum* mutare, ita ut milites legionarii Caesaris ibi intelligerentur; sed etiam alia oppida Latina Campaniis ibi adjunguntur; itaque conjectura dubia est.

7) de flumin. p. 28.

8) Apud Mommsen nr. 3571.

9) p. 257.

10) ibidem p. 260. Quod vero Casilinum ab Agathia Hist. II, 4 p. 71 et Constant. Porphyrog. de Them. II. 1, 11 p. 23 commemoratum esse dicit, in eo erravit v. d., quum flumen Casilinum cum oppido commutasset.

11) Zuccagni-Orlandini in tab. geogr. et Forbiger Handb. d. a. Geogr. T. III p. 742.

12) XXII, 15, 4 (cf. p. 24 not. 14) et XXIII, 17, 10. *Eo* (Volturno) *enim dividitur amne*.

13) Fortia d'Urban in Recueil p. 210 et Lapie.

14) Quodsi *Hannibal* apud Livium XXII, 13, 6 *per agrum Calenum in campum Stellatem descendisse* dicitur, id non de confinio utriusque agri intelligendum est, neque quod *porta Stellatina* Calium in titulo apud Mommsen nr. 3953 commemoratur, sed de regione itineris, quo Hannibal versus est, ut viam Appiam intraret.

15) Liv. l. l. et Plin. II, 103, s. 106, 230.

16) Cf. Plin. H. N. II, 103, s. 106, qui aquam acidulam in agro Caleno fuisse dicit, quae nunc ad collem Francoliseanum manat; cf. supra p. 9 not. 6. 7.

17) Cf. de urbe Cluver. It. Ant. T. II p. 1179, Peregrin. Campan. Fel. II, 28 p. 311—18 et Pratill. p. 423.

18) Id et Virgil. A. VII, 728 significavit.

19) Sil. It. XII, 525 et tabula Peutingeriana.

20) Cf. tabulam Peutingeri.

Romanis expugnata colonia[1]) est facta; eadem tamen a Cicerone et municipium[2]) et oppidum[3]) nominatur. Postea concidit, sed restaurata esse dicitur[4]) seculo nono; nunc *Calvi* nuncupatur. *Ager ejus*, qui *limitibus Graccanis antea fuerat adsignatus*, *postea jussu Caesaris Augusti limitibus nominis sui – renormatus*[5]), partim calcarius est, partim tofaceus et propterea ad vini culturam aptissimus. Et nobilis[6]) erat ager Calenus vino suo quod molle[7]) et leve stomachoque utilius quam Falernum[8]) dicitur et ab Horatio celebratur[9]). Cum Statano, cui olim praeponi solebat[10]), et cum aliis tertium auctoritatis obtinebat locum, sed jam Plinii aetate non in usu erat, neque a Martiale neque a Galeno laudatur.

Jam pervenimus ad ultimam regionis Falernae partem, quae continet *agrum Falernum*[11]), angustiore vocis significatione dictum. Nomen tulisse fertur a Falerno urbe Volscorum, quae in confinio Campaniae prope a Sinuessa fuisset; sed urbs ejus nominis a scriptoribus non commemoratur, nisi forte a Macrobio[12]): *Aminei fuerunt*, *ubi nunc Falernum est.* Dubitatur vero, utrum legendum sit ibi *Salernum*, quod est in codice Pontani[13]), an *Falernum*, quod melius est, agrum[14]), non urbem significans, quum *Falernum* oppidum, quod antea non fuerat, Macrobii aetate fuisse non sit verisimile. Neque certiora habet Silius Italicus[15]), qui quum nominis originem nesciret, a Falerno aevi aurei sene, domino illius regionis, id inditum fuisse finxit, ut mos est poetarum. Dicitur vero a Livio, Plinio aliisque scriptoribus fere semper *ager*[16]), in quo tamen praeter campos etiam colles fuisse idem Plinius[17]) et Martialis[18]) indicant; commemo-

---

1) Liv. VIII, 16, 13. *De colonia deducenda Cales retulerunt, factoque senatusconsulto ut duo millia quingenti homines eo deducerentur, triumviros coloniae deducendae agroque dividundo creaverunt.* Quapropter *colonia* dicitur a Livio XXVII, 9, 7 et XXIX, 15, 5 et a Vellejo I, 14.

2) Cic. Agrar. II, 32 et ad Div. IX, 13. Balbus in Lib. I Colon. p. 232 (Agrim.). *Calis municipium muro ductum.*

3) Cic. Agrar. II, 36, Plin. III, 5, s. 9, 63 et Val. Max. III, 2 Ext. 1. In tabula Peutingeriana sine turribus et moenibus indicatur.

4) Peregr. l. l. p. 317.

5) Balbus l. l.

6) Strabo V, 3, 9 p. 237. *Ἡ τῶν Καληνῶν ἀξιόλογος.*

7) Juven. I, 69.

8) Athenae. I, 48 p. 27, qui haec ex alio fonte, quam ex Galeno hausit: *ὁ Καληνὸς κοῦφος, τοῦ Φαλερίνου εὐστομαχώτερος.*

9) Od. I, 20. 9; 31, 9; IV, 12, 14.

10) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 64. *Ad tertiam palmam varie venere Albana, — Surrentina —. Certant Massica —; nam Falerno contermina Statana ad principatus venere non dubie. — Juncta his praeponi solebant Calena.*

11) Cf. de eo Cluver. Ital. ant. IV, 5 p. 1172 et Peregrin. Camp. II, 34 p. 321 sq.

12) Saturn. II, 16.

13) Sic *Falernum* et *Salernum* commutantur in Itiner. Antonin. 109 p. 50 ed. Parthey. Harduin. ad Plin. III. 11, s. 16, 99 voluit *Salentum* legere apud Macrobium.

14) Ita Sil. Ital. VII, 159 *uberis arva Falerni;* Vibius Seq. de montibus: *Massicus Campaniae in Falerno,* et Polyb. III, 92, 6 et 94, 7 *τὸ Φάλερνον*; cf. et Acron. ad Horat. Epod. 4, 13. Jan ad Macrob. l. l. intelligit minus bene vicum.

15) VII, 166.

16) Polyb. III, 90, 10 dicit *τὸν προςαγορευόμενον τόπον* i. campum, regionem.

17) H. N. XIV, 6, s. 8, 63. *Summis collibus Caucinum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum.*

18) XII, 57, 22. *Nec in Falerno colle major autumnus.*

rantur et *Falerni saltus*[1]) et *Falernus mons*[2]) a Floro, dum Plinius[3]) *agros Falernos* a *montibus Massicis* aperte distinguit.

Quaeritur, ubi *ager Falernus*, angustis circumscriptus finibus, in regione Falerna fuerit; etenim viri docti de loco vineis Falernis adsignando vel nihil constituerunt, vel in varias discesserunt sententias. Baccius[4]), qui Plinii verba[5]) male intellexit, agrum Falernum a laeva ripa Liris fluvii incepisse ejusque colles vitiferos in prospectu ad Sinuessam usque fuisse sibi persuasit; Cluverius[6]) putat agrum Falernum, a Massico monte incipientem, inde a Sinuessa ad Volturnum usque fluvium extensum fuisse (qua in re consentientem habet Jo. Henr. Vossium[7])) et Faustianum agrum, partem Falerni, fortasse circa Sinuessam urbem fuisse; alii[8]) vinum Falernum in colle, qui nunc Rocca di Mondragone appelletur, natum fuisse dicunt, alii[9]) autem arbitrantur eundem agrum a ponte Campano incipientem ad radices Massici montis usque porrectum fuisse, ita ut in planitie Falernus et in mediis Massici locis, ubi nunc est *Falciano*, Faustianus fuerit. Neque Forbigeri[10]) sententia, qui vinum Falernum in Massico monte orientem versus natum fuisse ait, neque Jo. Stadii[11]), qui agrum Falernum in Massico monte septentrionem versus situm fuisse censet, probari possunt; neutra certe ullo nititur argumento. Nullus eorum situm Falerni recte constituit, quum neque naturam locorum satis considerassent, neque auctoritatem scriptorum, ut par erat, respexissent. Meliora habet, Peregrino praeeunte[12]), Pratillius[13]), qui agrum Falernum in sinistra Savonis ripa incipientem inter viam Appiam et Latinam, ubi nunc sint territoria pagorum *Noceletto*, *Pizzone*, *Francolise*, *Sparanise* et *Calvi*, patuisse dicit.

---

1) Flor. II, 6, 28. *Itaque per Samnium totum, per Falernos Gauranosque saltus — maceravit Hannibalem.*

2) Flor. I, 16, 5. *Hic amicti vitibus montes Gaurus, Falernus, Massicus* etc.

3) H. N. III, 5, s. 9, 60. *Hinc Setini et Caecubi protenduntur agri; his junguntur Falerni, Caleni. Dein consurgunt Massici, Gaurani Surrentinique montes.*

4) De nat. vin. hist. V p. 209 sq., quem sequitur J. de Re Descriz. T. I p. 294. *Ager Falernus tra il Massico et il Minturno all' ovest.*

5) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

6) Ital. Ant. III, 10 p. 1083 et IV, 5 p. 1172; sic et Sanfelicius l. l. *Il territorio che e da la Rocca di Mondragone sino al Volturno.*

7) Ad Virg. G. II, 96 p. 299. Unter welchem (dem Massicus) das Falernergefilde bis zum Fluss Savo, dem Berge Callicola und der Stadt Casilinum am Vulturnus sich ausbreitete.

8) Apud Baccium l. l. p. 210 et Sachs in Ampelograph. p. 426 et Breislac Voyag. phys. T. I p. 111 (p. 86) propter *Falernum montem* sive *collem*, ut videtur; cf. p. 26 not. 18 et supra not. 2.

9) Martinière Lexic. Geogr. T. IV p. 1462 et Forcellinius v. *Falernus*, qui cum agrum inter Calenum et Sinuessanum a ponte Campano ad laevam incepisse et ad radices Massici montes finitum fuisse dicit.

10) Handb. d. alt. Geogr. T. III p. 493, secutus Reichardum in Orbe terrarum.

11) Ad Flor. I, 16, 2. *Falernus ager ejus montis (Massici) ad septentrionem declivitate porrigebatur.*

12) Peregrin. II, 34 p. 322. *Falernus fuit ab — citeriore Savonis ripa Volturnum versus ad sinistrum latus Appiae, quae ab isto ponte ferebat ad urbem, cui nomen Urbana — Cales et Calliculam versus.*

13) De via Appia p. 246 sq.

Primum ex iis, quae supra sunt dicta, nimirum apparet nullam regionis Falernae partem jam superesse, quae agro Falerno adsignari possit, nisi angulum, qui inter Massicum montem et promontoria Roccae Monfinae et collem Francoliseanum juxta Pratonem, Rotam, Riccium rivos et Savonem fluvium meridiem versus spectat. Ibi erant vineae Falernae, cujus rei optimus auctor est Plinius[1]). *Falernus ager,* inquit, *a ponte Campano laeva petentibus Urbanam*[2]) *coloniam Sullanam nuper Capuae contributam incipit.* Descripsit enim Plinius agrum ita, ut situm ejus ex via Appia, quae juxta erat[3]), proficiscentibus indicaret; *laeva* igitur sive ad laevam eorum, qui a ponte Campano Urbanam vel Casilinum iter faciunt, vineae Falernae de sententia Plinii incipiunt. Sed jam quaeritur, ubi pons Campanus fuerit; Baccius[4]) vehementer errans ponte Campano Lirin fluvium junctum fuisse dicit; alii[5]), passuum numero in errorem inducti, pontem vel Riccio rivo, ubi nunc est *Molino Ceppani* sive prope ad *Ceppani*[6]), vel Rotae rivo haud procul a *S. Janni*[7]) impositum fuisse dicunt; alii[8]) recte quidem pontem fuisse Savonis fluvii ajunt, sed locum falsum ei attribuunt[9]). Et pontem Campanum in fluvio potius Savone quam in rivo Pratone Ricciove fuisse per se verisimile est[10]) et tabula Peutingeri ostendit, Savonem fluvium cum verbis *ad ponte campano* (sic) *Safo fl* in descriptione viae Appiae exhibens.

Locus autem, ubi pons Campanus in Savone factus fuerit, ex numero passuum pendet, qui inter Sinuessam et Capuam antiquam intercesserunt, qua de re supra dictum est. Jam quum Capua a ponte Campano distet XIV millia passuum, ut demonstravimus, et pons Campanus secundum Plinium[11]) et Itinerarium Hierosolymitanum[12]) a Sinuessa IX millia passuum absit, pons, quem dixi, non in eo loco Savonis factus erat, quem Pratillius[13]) voluit, prope a *Molino de' Monaci,* apud vicum *Ciambrisco,* sed in eo, qui est inter *Bufalara*

---

1) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

2) Muretus correxit *urbem a colonia per Sullam Capuae constituta*, sed frustra.

3) Horat. Epod. 4, 13 conjungit vv. *arat Falerni mille fundi jugera et Appiam mannis terit.*

4) De nat. vin. hist. V. p. 209.

5) Lapie et Fortia d'Urban in Recueil. d. Itin. p. 192 et 210.

6) Reichard in Orbe terrarum.

7) Harduin. (ad Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62), qui pontis nomen sua aetate in vicino pago *S. Giovanni a Ponte Campano* mansisse dicit. Eum sequuntur Forcellini s. v. *Falernus* et Romanelli in Ant. Topograph. di Napoli T. II p. 505, qui inter Sinuessam et pontem Campanum III, sed inter Urbanam et Novum VII (pro III) millia statuit atque spatium inter Sinuessam et Capuam XXII millium.

8) Cluver. It. ant. IV, 5 p. 1178, Peregrin. II, 35 p. 334, Bischoff in lexico geogr., Kiepert in tab. geogr., alii.

9) Guillaume teste Partheyio in Itin. Anton. p. 371 *Casal (Castel?) Pagano* in ora maritima pro ponte Campano habuisse dicitur.

10) Excepto Volturno Savo est solus illius regionis fluvius et propterea solus a Plin. H. N. III, 5, s. 9, 61 laudatur.

11) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

12) nr. 611, 6. *Civitas Sonuessa mil* VIIII a ponte Campano.

13) De via Appia p. 243. Cum Pratillio de loco pontis consentit Romanelli Ant. topogr. T. II p. 510 et J. de Ro in Descriz. di Regno T. I p. 294. *Pons Campanus sul fiume Savone ove dicesi il Molino de' Monaci.*

et *Casella di Selca Detea* septentrionem versus. Ibi et ager Falernus proprie dictus, ad laevam Savonis ripam incipiens, inter hunc fluvium et Lanzium rivum ita patebat, ut tria millia passuum latus, quod Plinius indicat, conterminum haberet Urbanum, et V circiter millia passuum longus septentrionem versus agrum Calenum attingeret, et a colle Francoliseano, qui eam ob rem, ni fallor, *collis*[1]) vel *mons Falernus* nominatus est, quasi termino contineretur. Minus recte Pratillius *Sparanise*, qui vicus in agro Caleno est, et *Calen* ipsam ad agrum Falernum retulit. Ibidem in via Appia erat et *villula*[2]), *proxima Campano ponti* sive juxta pontem, quantum ex Horatii verbis conjicere licet, ubi *muli Capuae*[3]) *clitellas tempore ponere* solebant. Quam in villulam sive tabernam Horatius quoque, vini censor peritus, devertit, ut non modo *tectum et* quae deberent *ligna salemque* a parochis acciperet, sed etiam, opinor, Falernum ipsi eximie laudatum hauriret.

Faustianus vero ager, pars Falerni, huic erat adjunctus, sed ubi fuerit conterminus, dubitatur. Plinii verba[4]), quibus initium agri indicat, et obscura et corrupta sunt: *Faustianus autem* (supplendum est ex prius dictis *incipit) circiter IIII milliaria*[5]) *a vico prope*[6]) *Caedias, qui vicus a Sinuessa VI millibus*[7]) *abest*. Quibus verbis Plinius dicere videtur, agrum Faustianum incepisse IV circiter milliaria a vico quodam, qui prope a Caediis, sed a Sinuessa VI millia abesset. At quaenam est ista loci limitatio? Qui situm agri Faustiani accuratius finibus circumscribere vult, initium ejus constituit IV milliaria remotum a vico neque noto, neque nominato, et eundem vicum haud procul ab alio vico, nominato quidem sed item ignoto, abfuisse dicit, intervallo tantum inter eum et Sinuessam addito, sed ne sic quidem ita ut regionem coeli accurate definire possis. Accedit quod v. *vicus* repetitum displicet, et quod vv. *qui vicus — abest* ad *Caedias* potius quam ad vicum illum ignotum pertinere videntur. Exspectamus situm loci incogniti ex comparatione cum cognito instituta illustrari, quod et ipsum a Plinio factum esse videmus in describendo agro Falerno, qui a ponte Campano ad laevam petentium Urbanam incepisse dicitur. Id sensit et Peregrinus[8]), qui vocabulo *citra* Plinii verbis ante *circiter* addito locum ita explicat, ut *Vicum*, quem Plinius nomine proprio significaverit, in ipsa via

---

1) Martial XII, 57, 22. *Nec in Falerno colle* (al. *monte*) *major auctumnus*; Flor. I, 16, Serv. ad Virg. G. II, 96 et Philargyr. ad Virg. G. II, 143 supra p. 7 not. 5.

2) Horat. Sat. I, 1, 45.

3) Pons Campanus sive villula XIV millia passuum a Capua aberat, quam ob rem in Horatii scholiasta l. l., *ea autem villula est intra XVI milliarium a Capua, ubi se pernoctasse dicit*, scribendum est *intra XV milliarium*, sive ad lapidem XV a Capua venienti.

4) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

5) Tres Parisiens. omittunt v. *milliaria*; Cod. Reichenbac. rescriptus, cujus scripturam h. l. debeo humanissimo Dr. Mone, habet *milia passum*.

6) Cod. Tolet. *prope a vico*. Pro *Cedias*, quod fere omnes Codd. habent, Osannus noster in Zeits. f. Altert. 1850 nr. 27 p. 215 scripsit *Caedicias*; Cod. rescr. habet *a vico Caedicii*.

7) Cod. rescr. *V milia passum*.

8) Campan. II, 10 p. 109.

Appia IV[1]) millia a Sinuessa et VI a ponte Campano abfuisse dicat, et Caedias venienti a Sinuessa in parte sinistra ejusdem viae haud procul a Vico illo sitas, Faustianum autem vinum IV milliaria ab eodem Vico in medio monte Massico natum fuisse[2]). Sed ne sic quidem locus Plinii restitutus est; immo verba ejus etiam obscuriora facta sunt, neque *Vicus* Italiae nomine proprio unquam legitur sine additamento, quod in vv. *prope Caedias* non inest, neque Caedias extra viam Appiam fuisse verisimile est. Corrigas, quod Cod. Toletanus partim exhibet, *prope a vico Caediis*[3]*)* sive *Caedicio*[4]), ut vicus ab agro distinguatur, aut, quod malim, deleta glossa, quae in verba Plinii irrepsit, locum ita scribas: *Falernus ager a ponte Campano laeva petentibus Urbanam coloniam Sullanam nuper Capuae contributam incipit, Faustianus autem circiter IV milliaria prope Caedias, qui vicus a Sinuessa VI millibus abest.* Verba optime procedunt et facillimo negotio explicari possunt, si ad vv. *circiter IV milliaria* ex prioribus, quibuscum cohaerent, vv. *a ponte Campano incipit* suppleas. Possis et *ab eo* corrigere pro *a vico*, ut intelligatur pons Campanus, sed neque perspicue dictum est, quum et ad agrum Falernum referri possit, neque necessarium est, quum v. *milliaria*, quod corrigi non debet, viam publicam sive Appiam, in qua erant milliaria, significet; quapropter et conjectura Peregrini, *citra* ante v. *circiter* addentis, supersedere possumus. Expunxi vero vv. *a vico* ante v. *prope*; nam Plinius in constituendis utriusque agri finibus a certo quodam orditur loco, eundemque, quem vocabulis *a ponte Campano* apud agrum Falernum declaraverat, et in situ agri Faustiani describendo conservat. Et postquam verbis *IV milliaria a ponte Campano* in universum indicavit, ubi ager ille incepisset, locum accuratius definiens addit *prope Caedias* ejusque vici situm ex Sinuessa, oppido satis cognito, dimensus monstrat. Librarius, qui explicare volebat, ex quo vv. *circiter IV milliaria* penderent, glossam *a vico* margini adscripsit, quae postea cum verbis Plinii commixta est. Glossam enim adesso turbata oratio, et incerta v. *vico* in manuscriptis sedes, et inepta ejusdem vocabuli repetitio indicat. Nihil praeterea apud Plinium mutavi, quum *IV milliaria* sive lapides pro tribus millibus passuum bene sit dictum.

Quodsi verba Plinii recte emendavimus atque explicavimus, de situ agri Faustiani dubium esse non potest. Plinius enim damnata opinione eorum, qui tria Falerni genera *ita*[5]*) distinguunt, summis collibus Caucinum gigni, mediis*[6]*) Faustianum, imis Falernum,*

1) Peregrin. l. l. p. 108 sq., ubi numeri IV et VI aperte confudit. Pratillius l. l. p. 243, sententiam Peregrini probans, numeros corrigit; sed J. de Re errore Peregrini non intellecto in Descriz. de Regno delle due Sicil. T. I p. 292: *Cedia 4 miglia di quo di Mondragone verso il monte Massico.*

2) l. l. et II, 34 p. 321.

3) Cod. Toletan. *Cecidis.*

4) Ita apud Plin. H. N. XI, 42 *Caedicius campus.*

5) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

6) De Falco in Antiq. Neap. (Graev. Thesaur. Ital. T. IX, 1 p. 2): *Fastigniani* (sic) *vini dulcedo et suavitas nati in monte Massico (hodierno die monte Massico) prope Carinolam celebratur, ex quo loco Carolinae vinum nuncupatum fuit.*

tria quidem vini Falerni genera statuit, *austerum*, *dulce*, *tenue*, sed duo tantum agros sive vinearum locos, alterum *Falernum* a ponte Campano incipientem, qui inter milliarium XII—XV juxta utramque Savonis ripam[1]) et partim juxta Riccionem rivum ad collem usque Francoliseanum et ad promontorium Roccae Monfinae, in quo est *Casale*, patebat. Alterum autem significavit Plinius *agrum Faustianum*, qui inde a milliario CXIV—CXVII inter Pratonem et Riccium rivos sex septemve millia passuum prope a Caediis per clivos collesque porrectus, in quibus nunc sunt *Carinola*, *S. Donato* et *S. Aniello* septentrionem versus promontoria Roccae Monfinae attingebat, ita ut via publica, quae nunc a Sessa Capuam versus ducit, agrum Faustianum et Falernum transeat. Inde explicandum arbitror, quod *quidam* Plinio teste[2]) *summis collibus Caucinum*[3]) *gigni* dicebant; vinum enim a monte, cujus in collibus procurrentibus natum est, nomen *Caucinum* traxit, ut *Massicum* ab eo, quod ad radices Massici montis ortum est. Immo in v. *Caucini* nomen antiquum illius montis, qui nunc Rocca Monfina dicitur, reperisse mihi videor; etenim persuadere mihi non possum monti illi, et magnitudine et soli conditione admirabili, nullum fuisse nomen, dum montes contigui minores minusque insignes, ut Callicula et Massicus, nomina sua habebant. Mons igitur ignifer *Caucus* sive *Caucius*[4]) sive *Caucinus*, quod nomen fortasse cum *Caco* flammivomo cognatum est, nuncupatus fuisse videtur, *saltus* autem *Falerni*[5]), qui inter eum et Calliculam sive collem Francoliseanum recedebant.

Denique, ut hoc addamus, *agrum Faustianum* solus Plinius nominat, qui et *campum Caedicium*, non *agrum Caedicianum* habet. Jam quum discrimen[6]) inter agrum et campum suo jure statuere videatur, et idem, ut vidimus, *agrum Faustianum* prope a Caediis incepisse dicat[7]); quum porro ager Faustianus pars fuisset Falerni, qui Livio auctore[8]) conterminus erat agro Sinuessano, et quum *ager Caedicianus* post Plinium saepius commemoretur[9]), neque alius locus in regione Falerna inveniri possit, ubi inter agros laudatos

---

1) Propterea, ut supra dictum est, ager Falernus a Falere sive Savone fluvio nomen habuit.

2) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

3) Idem vinum laudat Athenaeus I, 48 p. 27. Nonnulli Codd. Plinii, sed male, habent *Gauranum*, quod Plinius paullo post §. 64 commemorat. Fuerunt sane, qui inducti fortasse locis male intellectis Cic. de leg. agrar. II, 14, Stat. Silv. IV, 3, 64, Plinii, quem supra laudavimus, et Flori I, 16, 5, praeter Gaurum, montem Puteolanum, duo alios ejusdem nominis in Campania statuerent. Sed alterum eorum ad Sinuessam fuisse, quod voluit Jo. Stadius ad Flor. I, 16, 3 et Jul. Caes. Capaccius in Antiq. Neapol. 1 (Graev. Thesaur. T. IX p. 3 et in Antiq. Puteol. c. 22, refutatus a Peregrin. Camp. II, 17 p. 176), et Voss. ad Virg. G. II, 143, ex Flori certe verbis II, 6, 28: *Q. Fabius per Samnium totum, per Falernos Gauranosque saltus — maceravit Hannibalem*, colligi non potest. Alium *Gaurum*, montem Campaniae, ad quem Valerius COS. castra posuit, et cujus in angustiis exercitus Romanus clausus fuisse dicitur, commemorant Liv. VII, 32, 2 et Aurel. Vict. de vir. illustr. 26, sed in nominis scriptura Codd. discrepant.

4) Titulus in agro Beneventano repertus apud Mommsen nr. 1586 nomina habet: *Q. Caucius A. F.* et *M. Caucius Q. F.*

5) Flor. II, 6, 28 et inde Jornandes de success. regn. p. 35.

6) H. N. XI, 42 et XIV, 6, s. 8, 62.

7) H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

8) X, 21, 8. *In saltu Vescino Falernum contingente agrum.*

9) Inscript. Mommsen nr. 79, 11 et 29 et Agrimens. p. 233 ed. Rudorff.

Caedicianus fuerit, mihi persuasum est nomen *Faustiani agri*[1]) post Plinii aetatem paullatim in Caedicianum cessisse indeque explicandum, quod a scriptoribus non commemoratur, et postea usu evenisse, ut et Caediciani agri vinique Faustiani nomen in generale, quod est Falernum, abiret.

Itaque tres, ut supra p. 4 indicavimus, ejusdem nominis, sed varii ambitus constituendi sunt agri Falerni, proprie dictus Falernus, qui a ponte Campano incipiens inter Urbanum et Faustianum patebat, et major, qui Faustianum sive Caedicianum simul inter Pratonem et Savonem continebat[2]), et amplissimus, qui totam regionem inter Massicum, Callicolam et Volturnum complectebatur. Eos descriptos videre licet in tabula geographica his addita, quam adjuti ope promtissima collegae dilectissimi *Guil. Dunkeri* composuimus et delineavimus.

Cum his, quae de situ agri Falerni et Faustiani dicta sunt, natura et conditio locorum, quos descripsi, maximam partem etiamnunc convenit. Constat inter omnes vinum Falernum vel Faustianum ad Plinii usque aetatem et postea nobilitate sua celeberrimum fuisse non modo Campanae regionis, sed etiam totius Italiae, excepto uno Caecubo. Jam quum praestantia et auctoritas vini non tam ex genere vitis, quae facile degenerare potest, quam potius praeter alia ex proprietate soli, in quo nascitur, et e situ vinearum in coelum opportune vergentium pendet; ad gignenda optima illius regionis vina complures convenisse causas et vim suam exseruisse necesse est.

Praedicatur sane magna fertilitas atque ubertas regionis Falernae in procreandis vitibus frugibusque efferendis; nam *Bacchi cura* dicitur *ager Falernus*[3]), qui *ad victum optimum fert vinum*[4]) cujusque *tellus dives* est *et nunquam mentita colono*[5]); sed quum alii ejusdem regionis agri vina gignerent minus bona minorisque aestimata, vel non eadem, ut alia taceam, utebantur rerum conditione, vel non tot in se habebant conjunctas commoditates. *Animadvertimus* enim, ut Vitruvius[6]) ait, *Italiam — in Campania Falernum, in Terracina et Fundis Caecubum reliquisque locis pluribus innumerabili multitudine genera vini virtutesque procreare, quae non aliter possunt fieri, nisi terrenus humor cum suis proprietatibus saporum in radicibus infusus enutrit materiam, per quam egrediens ad cacumen profundat proprium loci et generis sui fructus saporem.*

Ager Falernus et Faustianus, qualem finibus suis circumscripsimus, inter Massicum et Roccae Monfinae promontoria et collem Francoliseanum septentrionem versus porrectus, eam habebat loci opportunitatem, ut a Borea, Aquilone et Euro, frigora flatusque noxios

1) Nomen vini Faustiani ad aetatem usque Galeni mansit.

2) Hanc Livius l. l. significat.

3) Tibull. I, 9, 34.

4) Varro Rer. hum. lib. XI apud Macrob. Sat. II. 12.

5) Sil. Ital. VII, 160,

6) Archit. VIII, 3 (4), 12. Scripsi *Italiam in Campania*, ut §. 17 *in Italia Velino*, et *procreare*; paullo post fortasse corrigendum est *inter Terracinam et Fundos*.

secum ferentibus, defensus, radiis solis a meridie et occidente penetrantibus et a monte alterutro atque colle repercussis pateret; Massicus enim et Rocca Monfina cum parte Calliculae agrum utrumque quasi circumvallant et tuentur.

Deinde in agro Falerno et Faustiano, ut Plinius[1]) indicat et tabula geographica ostendit, praeter loca plana erant clivi collesque, qui inde a promontoriis Roccae Monfinae inter Pratonem et Rotam et Riccium procurrunt. *Meliores* autem *existimantur esse vineae collinae,* ut Varro[2]) praecipit; nam *loca campestria*, Columella auctore[3]), *largius vinum, sed jucundius afferunt collina.*

Tum vinearum solum in agro Falerno Faustianoque singulari modo erat compositum, ita ut partim calcarium, partim tofaceum esset, quorum illud ad calores solis, hoc ad humores aëris in se recipiendos et conservandos aptissimum fertilitatem vinearum magnopere adjuvat. Quantum vero terra tofacea sive tofus, non *arenosus atque jejunus*[4]), sed ferax fecundusque, ad vina gignenda valeat, jam Columella observavit. *Quis enim,* inquit[5]), *vel mediocris agricola nesciat, etiam durissimum tofum vel carbunculum, simulatque sunt confracti et in summo regesti, tempestatibus geluce nec minus aestivis putrescere caloribus ac resolvi, eosque pulcherrime radices vitium per aestatem refrigerare succumque retinere? quae res alendo surculo sunt accommodatissimae.* Tofus[6]) autem, qualis ad radices Roccae Monfinae apparet, aëris tactu solutus et gravidatus, levior graviorve, mox subluteus, mox rubiginosus, praeter elementa terrestria et fragmenta spathi vitrei fecunda, multas materiae vulcaniae particulas, inprimis oxydum quod dicunt ferri cum hydrate conflatum continet[7]), ita ut proprium vini ibidem nati saporem gignere possit.

Denique ager Falernus et Faustianus, qua in re summum conspicitur soli discrimen, quum Roccae Monfinae ita adjaceat, ut cum promontoriis ejus quasi coalescat, non modo

---

1) H. N. XIV, 6, s. 8, 63. *Quidam ita distinguunt summis collibus Caucinum gigni* etc.

2) R. R. I, 6.

3) R. R. III, 2, quocum consentit Palladius R. R. I, 6. *Campi largius vinum, colles nobilius ferunt.*

4) Pallad. R. R. I, 5 ex Columell. R. R. IV, 22.

5) R. R. III, 11, quibuscum cf. Pallad. R. R. II, 13 ex Columella hausta: *Tofus et alia duriora, ubi gelu relaxantur et solibus, pulcherrimas vineas ferunt, refrigeratis aestate radicibus et humore detento.*

6) Nominat in epistola eum, qui a tofo planitiae Campanae prorsus differat, braungelben Eisenoxydhydrat-Tuff vir earum rerum peritissimus Sartorius-Waltershausen. Describit eundem tofum Daubeny in Description of Volcanos p. 178 sq. his: *Rocca Monfina consisting entirely of volcanic materials. — it is almost entirely composed of beds of volcanic tuff, which differs however from that met, with round about Naples, in the inferior degree of its compactness, in its more earthy apparance, in the more presence of mica and the rarer occurrence of the darker varieties of pumice. I remarked a red ferruginous variety of tuff, sometimes in beds alternating with the commoner kinds and in one instance forming a kind of vein running vertically through the strata.* Abich quoque l. infra l. p. 1 sq. hunc tofum a Campano distinguit, alia habentem elementa aliterque compositum.

7) Breislac. l. l. T. I p. 93 (74).

habet colles vulcanios[1], in quibus nunc sunt *Casale, S. Aniello, S. Donato* et *Carinola*, sed etiam torrentes vulcanios collium[2] *Luparo, Casafredda, Cannito*, in planitiem a vertice montis olim ignivomi porrectos, quorum materia torrida, carbunculis elementisque terrae igneis constans aërisque afflatu contrita, vitibus nimirum succum indidit, ex quo ardor ille visque indomita et aliae virtutes vini Faustiani sive Falerni nascebantur. Nam quae Strabo[3] de cineribus sive torrentibus igneis Vesuvii et Aetnae restinctis dicit, eadem de Rocca Monfina et Falerno valent. Ἔχει μὲν γὰρ (ἡ σποδὸς) τὸ λιπαῖνον καὶ τὴν ἐκπυρουμένην βῶλον καὶ τὴν ἐκφέρουσαν τοὺς καρπούς· πλεονάζουσα μὲν οὖν τῷ λίπει πρὸς ἐκπύρωσιν ἐπιτηδεία, καθάπερ ἡ θειώδης πᾶσα, ἐξικμασθεῖσα δὲ καὶ λαβοῦσα σβέσιν καὶ ἐκτέφρωσιν εἰς καρπογονίαν μετέβαλε. Sic omnia convenerunt, ut locus natura sua insignis insigne efferret vinum; sic omnia ostendunt vinum optimum generosissimumque in angulo illo ridente regionis Falernae, non alibi, natum fuisse.

Inde et evenit, ut multi Romani nobiles divitesque, quemadmodum in Cumano vel Baiano, ita in Falerno agro villas vel fundos haberent. Ita Pompejus Macula quidam, qui Faustae L. Sullae filiae erat moechus[4], praediolum Falernum possedit, quod Ciceroni[5] *idoneum visum est deversorio,* neque tamen satis magnum *ad comitatum ejus recipiendum.* Pompejo Magno quoque fuit fundus Falernus, qui postea ad Anserem poetam transiit[6]. Denique Rufus quidam tribunus militum *arasse Falerni mille fundi jugera* ab Horatio[7] dicitur. Quae possessiones Romanorum divitum in causa fuisse videntur, quod via vicinalis[8] sive deverticulum in agro illo erat munitum; commemoratur certe in titulo[9] *M. Cornelius curator viae Falernae*, sed ubi strata fuerit illa via non constat; fortasse limitem inter agrum Faustianum et Falernum fecit.

Superest *Forum Claudii,* quod in agro Falerno duo millia a Carinola, ubi nunc est *Civita rotta,* conditum olim fuisse Peregrinus[10] ex vita S. Bernardi Carinolensis conjecit; sed quum a solo scriptore vitae illius anonymo commemoretur, idque verbis obscurius dictis, non est, cur pluribus de loco incerto, certe non antiquo disputemus.

---

1) Breislac. l. l. T. I p. 57 (49). Quae confirmat Zuccagni-Orlandini in Corograf. dell' Ital. T. XI p. 913 (cf. supra p. 10 not. 2).

2) Abich Geolog. Beobacht. etc. I, 1 ibique annotationes p. IX. Torrentes vulcanii, quantum fieri poterat, in tabula addita indicati sunt.

3) V, 4, 8 p. 247.

4) Macrob. Sat. II, 2.

5) Epist. ad Div. VI, 19, 1.

6) Cic. Philipp. XIII, 5, 11 jocatur dicens: *De Falerno Anseres depellentur.* Alius autem est fundus Pompeianus sive agri Pompeiani, qui commemoratur in titulo apud Mommsen Inscript. 79, 12, 26, 34 cum vinea Caediciana.

7) Epod. 4, 15.

8) Sicul. Flacc. de condit. agr. T. I p. 146. Agrim.

9) Apud Gruterum p. 397, 2; non legitur apud Mommsen.

10) Camp. II, 35 p. 331 sqq.

Pars altera.

De vino Falerno.

Ante omnia de *origine* et de *antiquitate* vini Falerni[1]), quae admodum dubiae sunt, accuratius quaerendum est. Romanos veteres nihil certi ea de re compertum habuisse, jam ex eo colligas, quod Silius Italicus[2]) arva Falerna ab ipso Baccho, qui hospitio exceptus Falerno cuidam seni gratiam reddidisset, vitibus uviferis obsita fuisse more poetarum finxit. Quam fabulam bene compositam eleganterque enarratam his adjungere a re non alienum esse putavimus.

Haud fas, Bacche, tuos tacitum transmittere honores,
Quamquam magna incepta vocant. Memorabere, sacri
Largitor laticis, gravidae cui nectare vites
Nulli dant prelis nomen praeferre Falernis.
Massica sulcabat meliore Falernus in aevo
Ensibus ignotis senior iuga. Pampinus umbras
Nondum uva virides nudo texebat in arvo;
Pocula nec norant succis mulcere Lyaei,
Fonte sitim et pura soliti defendere lympha.
Attulit hospitio, pergentem ad litora Calpes
Extremumque diem, pes dexter et hora Lyaeum;

---

1) De vino Falerno disseruit Peregrin. de Camp. fel. II, 5 p. 380—86. Quae Anonymus in Blatt. f. lit. Unterhalt. 1824 Nr. 197 habet, conversa sunt ex Hendersoni libro p. 88 sqq.

2) Punic. VII, 162—211.

Nec pigitum parvosque lares humilisque subire
Limina coelicolam tecti. Cepere volentem
Fumosi postes et ritu pauperis aevi
Ante focos mensae, laetus nec senserat hospes
Advenisse deum; sed enim de more parentum
Grato cursabat studio instabatque senectae,
Donec opes festas puris nunc poma canistris
Composuit, nunc irriguis citus extulit hortis
Rorantes humore dapes[1]). Tum lacte favisque
Distinxit dulces epulas, nulloque cruore
Polluta castus mensa cerealia dona
Attulit, ac primum Vestae decerpsit honorem
Undique, et in mediam iecit libamina flammam.
Deesse tuos latices, hac sedulitate senili
Captus, Iacche, vetas: subito (mirabile dictu)
Fagina pampineo spumarunt poeula succo
Pauperis hospitii pretium, vilisque rubenti
Fluxit mulctra mero, et quercu in cratera cavata
Dulcis odoratis humor sudavit ab uvis.
En cape, Bacchus ait, nondum tibi nota, sed olim
Viticolae nomen pervulgatura Falerni
Munera: et haud ultra latuit Deus. Inde nitentem
Lumine purpureo frontem cinxere corymbi,
Et fusae per colla comae, dextraque pependit
Cantharus, ac vitis, thyrso delapsa virenti,
Festas nysaeo redimivit palmite mensas.
Nec facilis laeto certasse, Falerne, sapori,
Postquam iterata tibi sunt pocula, iam pede risum,
Iam lingua titubante moves, patrique Lyaeo
Tempora quassatus grates et praemia digna
Vix intellectis conaris reddere verbis,
Donec composuit luctantia lumina Somnus,
Somnus, Bacche, tibi comes additus. Hinc ubi primo
Ungula dispersit rores phaethontia Phoebo,
Uviferis late florebat Massicus arvis,
Miratus nemora et lucentes sole racemos.
Id monti decus, atque ex illo tempore dives
Tmolus, et ambrosiis ariusia pocula succis,
Ac Methymna ferox lacubus cessere Falernis.

Sed ut ad rem qualis fuerit investigandam transeamus, constat jam antiquissimis temporibus circa annum DCCC Chalcidenses colonos, ex Euboea in Italiam inferiorem de-

---

1) Nil mutandum; *dapes* h. e. herbas, olera.

ductos, ibidem Cumam condidisse [1]), inde dictam Chalcidicam [2]). Itinere autem ita patefacto alii, Iones [3]) et Achaei [4]) et Dorienses [5]), eos secuti sunt, quos inter erant et qui *Sinopen* coloniam, a Romanis postea *Sinuessam* vocitatam, constituerunt [6]), sive ex Graecia ipsa navibus advecti, sive quod propter vicinitatem locorum verisimilius est [7]) oriundi ex Cuma, quae alias quoque colonias Dicaearchiam, Palaeopolin, Neapolin in eadem regione condidit [8]). Et quum vini cultura, ut iam ex nominibus vasorum vinariorum patet, per colonos Graecos in Italiam translata esset [9]), in promptu est conjicere, vites primas a conditoribus vel incolis Sinopes in regione, quae postea dicta est Falerna, fuisse sertas. In Euboea enim, ex qua profecti Chalcidenses Cumam condiderunt, vini culturam iam antiquis temporibus floruisse indicat Sophocles [10]) et dicit Alexis apud Athenaeum [11]). Accedit quod apud Cumam et Neapolim Plinio auctore [12]) eadem colebantur vitium genera atque in regione Falerna, *Amineae,* quamvis pro diversitate locorum variae fuerint earum species et varia earum cultura. Alii contra, Philargyrio [13]) teste, qui haec in Aristotelis Politicis [14]) se legisse scribit, *Amineos — Thessalos fuisse, qui suae regionis vites in Italiam transtulerint, atque illis inde nomen impositum* esse dixerunt [15]). Qui Aminei, si Philargyrius fide dignus esset, non pro Argivis Peloponnesiacis, quod Dionysius Halicarnassensis falso sibi persuasit, sed pro Pelasgis Thessalicis habendi essent, qui vel Phalerium sive Aequum Faliscum ejusdem fere nominis atque Phalaram [16]) oppidum maritimum Thessaliae, vel Phalerum [17]), vulgo

---

1) Liv. VIII, 22, 6. *Cumani ab Chalcide Euboica originem trahunt;* cf. Vellei. I, 4 et Strab. V, 4, 4.

2) Virg. Aen. VI, 16 *arx Chalcidica.*

3) Strabo VI, 1, 6. *Κτίσμα δ' ἐστὶ τὸ Ῥήγιον Χαλκιδέων.*

4) Strabo V, 1, 7. 12. 13. Achaei conditores Locrorum, Crotonae et Sybaris fuisse dicuntur.

5) Pausan. III, 12, 5, qui Tarentum ab iis conditum esse ait.

6) Liv. X, 21, 8; Plin. H. N. III, 5, s. 9, 59.

7) Dionys. Hal. VII, 3. *Κύμη — λιμένων κρατοῦσα τῶν περὶ Μισηνὸν ἐπικαιροτάτων.* Accedit quod et barbari infesta iis castra ad Glanin sive Lirin et ad Volturnum posuerunt; cf. Dionys. l. l.

8) Liv. VIII, 22, 5 et Strab. V, 4, 7.

9) Huc spectat fabula de Oenotro Arcade sive viticola, a quo Italiae pars australis nomen Oenotriae accepit; cf. Aristot. Polit. VII, 9 (10), 2, Dionys. Hal. I, 11 et Pausan. VIII, 3 (2), 5.

10) Thyest. fragm. ap. Schol. Eurip. Phoen. 238. *Ἔστι γάρ τις ἐναλία πόλις γῆς Εὐβοίας, ἔνθα Βάκχειος βότρυς ἐπ' ἦμαρ ἕρπει.*

11) I, 24, 56 p. 30.

12) H. N. XIV, 2, s. 4, 22, ubi dicitur vitis Aminea minor *in Vesuvio monte in jugo, in reliquis Italiae partibus non nisi arbori adcommodata* fuisse, quod ad *ἀναδενδρίτην* agri Falerni spectat, quibuscum cf. Galen. de method. XII, 4 p. 833 et de antid. I, 3 p. 16, qui *Amineum Neapolitanum* commemorat; adde Colum. III 2 et 8, 5.

13) Ad Virg. G. II, 97.

14) In Politicis nihil eiusmodi legitur; scribendum *Politiis*, in quibus respublicas Thessalorum ab Aristotele tractatas fuisse et alia fragmenta docent; cf. Reliquias Aristot. colleg. Neumann. p. 115.

15) Pratill. II, 6 p. 167, qui eosdem Amineos campum Falernum occupasse ibique vinum Amineum fecisse arbitratur, usus ea in re Macrobio teste Sat. II, 16. *Aminaea* (uva) *scilicet a regione; nam Aminaei fuerunt, ubi nunc Falernum est.* Peregrinus vero de Camp. III, 5 p. 385 affirmat vites Amineas multo tempore post Thessalos agro Falerno advectos in Italiam pervenisse, quarum vinum vere graecum Grammatici illis Amineis Thessalis tribuissent.

16) Dionys. Hal. A. R. I, 21, quocum cf. Plin. H. N. III, 5, s. 8, 51.

17) Stephan. Byzant. s. v. Quocum conferri potest, quod Palaeopolis ab Eumelo rege Thessalico condita esse dicitur; cf. Stat. Silv. IV, 8, 49, ubi *Eumelis* est urbs Neapolitana, et Sil. Ital. XII, 159, ubi legunt *Pheretiadum* pro *Pherecyadum.*

Palaeopolin sive Neapolin vocitatam, condidisse et Auruncorum campis, qui postea Campani dicebantur, potiti, in iis Larissam item Thessalico oppido cognominem exstruxisse feruntur. Attamen Amineorum gentem neque Thessaliae, neque usquam terrarum fuisse, infra videbimus. Alii denique vites a Peucetio Oenotri fratre in Peucetiam[1], quae et Aminaea[2] dicta esset, importatas atque postea cum in alia Italiae loca, tum in Campaniam translatas esse volunt[3].

Quicquid ea de re statuendum esse videtur, vinum Falernum nomenque ejus non ita antiquum est, ut ad tempora illa, quibus Graeciae civitates colonos in Italiam deducebant, referri possit. Quamvis enim Romani, ut alia[4] taceam quae ad priorem vini usum apud eos spectant, a Campanis post deditionem horum, anno[5] CCCCXI Urbis factam, vinearum culturam acceperint, ita ut, quod Plinius memoriae prodidit[6], iam Cineas Pyrrhi legatus Ariciae CCCCLXXV p. U. c. altitudinem vitium in alta cruce miratus in austeriorem gustum vini facete ludere posset, et quamvis in regione Falerna, quam Hannibal anno DXXXVII vastabat, *arbusta vineaeque*[7] fuerint, idem tamen Plinius[8] monet Italiae vinis *non a primordio gratiam fuisse, auctoritatem post sexcentesimum urbis annum coepisse. Apothecas* sane, ita pergit Plinius[9], *fuisse et diffundi solita vina anno DCXXXIII Urbis apparet indubitato Opimiani vini*[10] *argumento, iam intelligente suum bonum Italia; nondum tamen ista genera* vini LXXX fere *in claritate erant; itaque omnia tunc genita unum habebant consulis nomen.* Tunc igitur neque Falernum erat repertum, propterea neque a Plauto commemoratum, qui praeter unam myrrhinam[11], vinum ut consentaneum est Italum, Graeca tantum, Leucadium[12], Lesbium, Thasium, Coum, nisi forte hoc erat facticium[13], et Chium[14] nominat, neque a M. Porcio Catone laudatum, qui plurima et egregia de vitibus *Latinae linguae praecepta*[15] habet, sed praeter vinum Graecum et Coum et myrteum eaque facticia[16] nonnisi vernaculas

---

1) Dionys. Hal. I, 11.

2) Hesych. s. v. *Ἀμιναῖον*, ubi leguntur: *ἡ γὰρ Πευκετία Ἀμιναία λέγεται.* Facile ibi cum J. H. Vossio ad Virg. G. II. 97 corrigi possit *Πικεντία*, ut Oenotriae sive Ausoniae pars intelligatur; sed conjectura non opus est.

3) Forbiger Handb. d. Geogr. T. III p. 530 not.

4) Uxorem Egnatii sub Romulo caesam, quod vinum bibisset, et legem Numae *vino rogum ne respargito* apud Plin. H. N. XIV. 12, s. 14, 88 sq., et legem XII tabularum *tignum junctum aedibus vineave — ne solvito* apud Festum v. *tignum*.

5) Liv. VII. 30.

6) H. N. XIV. 1, s. 3, 12.

7) Liv. XXII. 15, 2.

8) H. N. XIV, 11, s. 13, 87; cf. et 12 init.

9) H. N. XIV, 14, s. 16, 94.

10) Id significavit Plin. H. N. XIV. 4, s. 6, 55. *Anno fuit omnium* vini *generum bonitas L. Opimio consule; — ea coeli temperies fulsit - cocturam vocant - solis opere natali urbis DCXXXIII.*

11) Pseud. II, 4, 51.

12) Poen. III. 3, 86.

13) Cujus praeparationem docet Cato R. R. 112.

14) Curcul. I. 1, 79. Plautus etiam pittacia sive notas amphorarum novit et in eas *epistolas literatas, fictiles, pice signatas* ludit Poen. IV, 2. 14 sq.

15) Plin. H. N. XIV, 4, s. 5. 47.

16) R. R. 24. 105. 112. 125; de Coo cf. et Plin. H. N. XIV, 8, s. 10. 79.

recenset vites[1]), Amineum minusculum et maiusculum, Amineum geminum duplex[2]), Eugeneum, Helveolum minusculum, Murgentinum, Apicium Lucanum[3]), Duracinum et alias maxime miscellas, quas dicit. Nusquam mentio fit vini Falerni ante Varronem, ne in edicto quidem P. Licinii Crassi et L. Jul. Caesaris Censorum anno DCLXV p. U. c., qui *vinum*[4]) *Graecum Amineumque octonis aeris singula quadrantalia vendi* vetabant. Vinum scilicet Falernum iam tunc parabatur et apud Romanos in usu erat, sed hoc nomine nondum praeditum a Polybio[5]) propter singularem culturam vitium arboribus in regione Falerna junctarum, quam ibi solitam fuisse Plinius[6]) testatur, ἀναδενδρίτης, ut ait Athenaeus[7]), appellabatur, vel ab aliis, ut in interdicto, quod antea laudavimus, propter genus vitium, ex quibus gignebatur, communi nomine *Amineum*. Nomen singulare *Falerni* vino indidit Campania, quae, ut Plinii[8]) aetate excitavit novis nominibus auctoritatem vinorum sive cura sive casu, ita et tunc post annum DCXXXIII vel DCLXV *Falerno reperto*[9]), quod *cura culturaque* Falerinorum *collegerat*[10]). Vinum Falernum primus, ut poetam comicum anonymum apud Plinium[11]) praetermittam, commemorat Q. Val. Catullus[12]), *ministrum veteli puerum Falerni ingerere calices amariores* jubens, et post eum M. Terentius Varro[13]) anno circiter DCCXVIII p. U. c., qui dicit *genera* esse *vini, in quo Falerna, quae quanto plures annos condita* haberentur, *tanto, cum promta*, esse *fructuosiora*. Itaque nomen vini Falerni inter annum DCLXV et DCC in consuetudinem venisse videtur; etenim Plinius[14]) narrat Caesarem dictatorem et consulem in epulis triumphorum anno DCCVIII et DCCIX vinum Falernum praeter Chium, Lesbium et Mamertinum distribuisse et *alia omnia in nobilitatem venisse circiter septingentesimum annum urbis.*

Vites, ex quibus vina *agri Falerni* nascebantur, Falernae quidem semel[15]) vocantur, sed eas *Amineas* fuisse et plerumque ita dictas colligi potest compluribus ex

---

1) R. R. 6; cf. et 7, 24. Plin. H. N. XIV, 4, s. 5, 44. *Cato — pauca attigit vitium genera*, quae Plinius l. l. enumerat.

2) Falso apud Caton. l. l., Varron. R. R. I, 25 et Plin. l. l. §. 46 v. *geminum*, quod pertinet ad *Amineum* (cf. Plin. H. N. XIV, 2, s. 4, 21 et Colum. III, 2) cum v. *Eugeneum* conjungunt, quod duplex non erat.

3) Sic Silligius Plinii sive Catonis verba recte conjunxit; alii male duo genera et *Apicium* et *Lucanum* faciunt. De vino *Murgentino* cf. Plin. XIV, 2, s. 4, 35.

4) Plin. H. N. XIV, 14, s. 17, 95.

5) Is nomen *Falerni* regioni, non vino impositum habet III, 90, 10.

6) H. N. XIV, 1, s. 3, 10.

7) I, 57 p. 31.

8) H. N. XIV, 6, s. 8, 69.

9) Plin. H. N. XIV, 14, s. 16, 95.

10) Plin. XIV, 6, s. 8, 62.

11) l. l., quo de poeta cf. supra p. 2 not. 7.

12) XXVII. 1.

13) R. R. I, 2. 65. Varro senex octogenarius scripsit de agricultura; cf. I, 1. Praeterea I, 8 *perticas in Falerno* laudat. Vinis, ex Catone translatis (cf. I, 25. 58) addit Varro *Scantianum* (I, 58), quod Silligius in verba Catonis apud Plin. XIV, 4, s. 5, 47 male invexit, quum neque in Codd. Catonis *Scantianas* legatur et Plinii quae sequuntur verba aperte indicent apud Varronem pro *Amineas*, quod Cato habet, scriptum fuisse *Scantianas*. Quamobrem vv. *et Amineas* apud Varronem delenda sunt.

14) H. N. XIV, 15, s. 17, 97.

15) Plin. H. N. XIV, 3, s. 4, 38.

rebus et certo confirmatur testimonio. Etenim *Amineas vetustissimas* et *plerumque solas antiquis* notas fuisse Columella[1] testatur; deinde Plinius[2] Aminea in *publica* refert vitium *genera*, a *ceteris regionum locorumque* vitibus diversa; tum *Massici — agri vites*, Columella auctore[3], *omnium, quas terra sustinet, in nobilitate vini principes* erant, quem *principatum* Amineae, Plinio teste[4], *firmitatem propter senioque proficientem vini ejus utique vitam* habebant et propter incredibilem fecunditatem[5], ita ut generosas vineas, quales erant Falernae, efficerent[6]; praeterea quae Cato[7] de loco dicit, in quo Amineum minusculum et geminum sit conserendum, et quae Plinius[8] habet de cultura ejusdem Aminei germani et gemelli minorum[9], optime quadrant in regionem Falernam, ubi arbustis plurimum utebantur; porro *Aminei* ibi habitasse dicuntur, ubi postea erat ager Falernus[10]; denique regionis Falernae *vineam Caedicianam* sive Faustianam, quae erat *Aminea*, M. Meconius quidam Augustalibus legavit, ut inscriptio[11] docet. Quare et *ager Amineus*, quem Servius[12] nominat, pro Falerno intelligi potest, et *vinum Amineum*, quod vetus dicitur apud Catonem[13], quodque apud Plinium[14] cum *Graeco* externo conjunctum apparet, pro indigena sive Falerno explicari debet. Vinum enim *Amineum* vel facticium, cujus apparatum Didymus memoriae[15] prodidit, in Graecia componebatur, vel naturale ex vitibus Amineis in Italia nascebatur. Quae vites quum facilius aliis colerentur[16], et *pretiosi saporis* essent[17], et *ubicunque*[18] *essent, etiamsi degenerarent, sibi comparatae magis aut minus probi gustus vina*[19] *praeberent, et ceteras omnes sapore praecederent*, factum est ut ex Falerna in alias Italiae regiones, Puteolanam[20], Ardeatinam[21], Carseolanam, Albanam, Tuscam[22] et in Siciliam[23] atque adeo in Bithyniam[24] transferrentur[25]. Inde pro soli conditione vina varia quidem sunt orta, (*Amineum Siculum*[26] mediocriter album,

1) R. R. III, 9; cf. et Catonem R. R. 6.

2) H. N. XIV, 3, s. 4, 36.

3) R. R. III, 8.

4) H. N. XIV, 2, s. 4, 21; cf. et 24.

5) Colum. III. 9 coll. cum 7, ubi agricolarum opinionem inveteratam de Amineis, natali et ingenita sterilitate laborantibus, impugnat.

6) Colum. l. l.

7) R. R. 6.

8) H. N. XIV, 2, s 4, 21, quibuscum cf. Colum. III. 2.

9) l. l. §. 22; cf. et Columell. l. l.

10) Macrob. Sat II, 16.

11) Apud Mommsen nr. 79, 29 et apud Orellium nr. 3678.

12) Ad Virg. G. II, 97 in cod. Guelf.

13) R. R. 106 (107).

14) H. N. XIV. 15, s. 16, 95.

15) Geopon. VIII, 22, ubi Niclas voluit *'Αμινίδιον*.

16) Geopon. II, 46. 3

17) Colum. R. R. III, 7.

18) Colum. R. R III, 2.

19) Cf. et Colum. R. R. III, 2.

20) Plin. H. N. XIV, 3, s. 4, 38.

21) Colum. R. R. III, 9, 3.

22) Galen. de sanit. V, 5. T. VI p. 334 sq.

23) Galen de compos. medic. sec. gen. IV, 1. T. XIII p. 659.

24) Galen. de alim. succis 11. T VI p. 805 et Geopon. IV, 1, 3.

25) Colum III, 2 et Plin H. N. XII, 2, s. 4, 22.

26) Galen. de antid. I, 3. T. XIV p. 15 et de method. XII, 4. T. X p. 835.

crassum stomachoque utile, *Neapolitanum* [1]) tenue, aquosum, *Bithynium* [2]) album, crassum, neque ventri conducibile), sed omnia, austera [3]) et adstringentia [4]) atque cum Falerno cognata, eodem nomine nuncupabantur *Aminea*. Etiam postea, quum cura et cultura Falerni aliorumque vinorum paulatim [5]) exolescerent, nomina singularum specierum adeoque Falerni obliterata sunt et vina optima, ut antiquissimis temporibus, ita serius nomine eodem generali *Aminea* vel *Italica* [6]) dicta fuisse videntur. Quare *Aminea* vina ubi commemorantur apud Servium [7]), Aetium [8]) et in Geoponicis [9]), non sunt diversa a Falerno, sed potius unum idemque constituunt vinorum genus [10]), cujus inter species, variis in locis ortas, praestantissimum erat Falernum. Neque recte faciunt [11]), qui ex Virgilii [12]) verbis *nec cellis — contende Falernis. Sunt et Amineae vites, firmissima vina*, diversas fuisse vites Falernas et Amineas collegisse sibi videntur, quum poeta non separans utrumque vinum et Amineum et Falernum, sed nobilitatem Falerni ex vitibus Amineis orti explicans *sunt et Amineae* addiderit, ut v. *firmissima* et comparatio, quae sequitur, cum vino Tmolite et Ariusio instituta indicant,. atque Sil. Italicus [13]) ad haec Virgilii verba respiciens docet. Quamquam Amineis vitibus Falernas semper significari non contendo, quum et in reliqua Italia Amineis vitibus, nec in ipsa regione Falerna solis uterentur Amineis, ut ex variis vinorum generibus ad Massicum natis apparet. Veniculam certe sive Scirpulam et Horconiam Campanis in usu fuisse auctor est Plinius [14]).

Vitis Aminea secundum alios indigena sive Italica erat, secundum alios peregrina et Graeca. P. Licinius Crassus et L. Jul. Caesar Censores [15]) in edicto anni DCLXV p. U. c. Amineum vinum, Graeco externo [16]) additum, pro domestico, ut videtur, habuerunt; Plinius [17]) vites Amineas in peculiares atque vernaculas Italiae refert; ejusdem sententiae

1) Galen. de antid. l. l. p. 16, de sanit V, 5. T. VI p. 334, de alim succis 11. T. VI p. 805 et de method XII, 4. T. X p. 833.

2) Galen. de antid l. l. et de sanit. V, 5. T. VI p. 337.

3) Corn. Cels. IV, 2, 4 p 192 et IV, 19, 32 p. 232.

4) Galen. de medicam. temperam I, 34. T XI p. 441.

5) Hinc Aminea prius cum Falerno laudantur apud Galenum et in edicto Diocletiano et a Vegetio de mulom. II, 2, postea sola apud Corn. Celsum et alios. Hinc et Aetius, medicus seculi VI, Amineum austerum a Falerno dulci distinguit in Tetrabiblo.

6) Lucian. Navig. 23 p. 273 ibique Schol., Jul. Pollux Onom. VI, 2 (15) p. 273 et Geopon. VIII, 22, 1.

7) Ad Virg G. II, 97, ubi id *album esse* dicit

8) Tetrabibl I, 1 v. κριθή, ubi *Amineum austerum* et I, 2, 242. 252, ubi *Falernum dulce* laudatur

9) IV, 1, 3

10) Hinc et ἀμινίζειν dicitur de sapore, qui vini Aminei similis est; cf. Geopon. VIII, 22, 1.

11) Peregrin III, 5 p. 385, ubi de vino Amineo disserit. Meliora habet iam Nic. Perottus in Cornucop. p. 881.

12) Georg II, 97.

13) VII, 209—211.

14) XIV, 2, s. 4, 34 sq.

15) Plin. XIV, 15, s. 16, 95.

16) Possis sane vinum Graecum pro facticio eodemque vernaculo habere, quod parare docet Cato R. R 24; sed quum edictum Censorum, quod Plin l. l. affert, luxuriae coercendae causa factum sit, sine dubio pretiosissima vina intelligenda sunt, quae inter et externum, ut verba seqq. Plinii docent. Eodem modo Sempron. Proculus in Digest. XXXIII, 6, 16 conjungit *vinum amphorarium, Amineum, Graecum* optima vina

17) H. N XIV, 2, s. 4, 24, ubi, postquam vites Amineas, Nomentanas, Apianas recensuit, pergit his: *Et hactenus potissima nobilitas datur peculiaribus atque vernaculis Italiae; ceterae advenere Chio Thasove.*

fuisse videntur, qui Amineorum gentem in Falerna regione sive in Campania vel in Peucetia vel in agro Picentino habitasse dicunt, Macrobius [1] et Hesychius [2]. Alii contra vites Amineas e Graecia immigrasse sibi persuaserunt, cui sententiae non modo id suffragatur, quod omnino vini culturam in Italiam ex Graecia translatam esse constat [3], sed etiam, ut praetermittam Aristotelis [4] testimonium, qui Amineos fuisse Thessalos dixisse fertur, originatio vocabuli graeci, de qua postea videbimus. Facile autem fieri poterat, ut commune vitium nomen inventoribus earum ob rem novam inderetur primique vinorum cultores, Sinuessani aliique regionis Falernae incolae, propterea et ipsi *Aminei* appellarentur. Sed sive indigenae, ex Italia oriundae, sive potius peregrinae a Graecis translatae sunt, Amineae vites ex antiquissimis certe temporibus in Italia inferiore innotuerunt, quod non modo fabula illa de Baccho apud Silium Italicum [5] indicat, sed etiam Columella [6] testatur, *vetustissimas quasque vineas existimans Amineas.*

Vocabulum *Amineum* quod attinet alii aliter originem ejus repetere student [7]. Scribendum est *Amineum*, ut titulus [8] docet, non *Aminaeum* [9], neque *Aminneum* [10] vel *Ammineum* [11]. Servius [12] originem vocabuli ducit ex eo, quod sit *quasi sine minio i. e. rubore, nam album est;* sed obstat syllabarum quantitas et quod species Amineae nigra [13] sive rubella est. Js. Vossius [14] mirum in modum originem vocabuli detorsit ab *Abella*, Campaniae oppido, ut sit Ἀμίννιον mutatis literis pro Ἀβίλλιον, quod habet Hesychius [15]. Si v. *Amineum* cum nomine proprio cognatum esset, facilius posset descendere ab *Aminula*, quam Festus [16] urbem parvarum opum fuisse Apuliae dicit, vel ab *Aminio*, quem Arcadiae amniculum laudat Pausanias [17], ita ut nomen vitis cum Oenotro ex Arcadia immigrasse videri posset; sed quum multa ejusmodi

1) Sat. II, 16, cujus verba supra p. 37 not. 15 leguntur. Cf eo de loco supra p. 26 et ibid not. 13.

2) Sub v. *Ἀμιναῖον. Ἡ γὰρ Πευκετία Ἀμιναία λέγεται.*

3) Dionys. Hal. Arch. I, 11; Pausan. VIII, 3, 5.

4) Apud Philarg. ad Virg. G II. 97; cf. supra p. 37.

5) Pun VII, 162—211.

6) R. R. III, 9

7) De originatione vocis disserit Gesner. in Ind. Script. rei rust. s. v.

8) Apud Mommsen nr. 79, 29. In Geoponicis est *Ἀμίνεον.*

9) Ita Galenus, Seren. Sammonicus et Hesychius. Disputant de scriptura Gesner. l. l., Interpp. ad Geopon. V, 17, 2 et Heyn ad Virg. G. II, 97, qui *Aminaeus* probat.

10) Ita Cod Medic. Virgilii l. l. et Ediet. Dioclet. de pretiis c 2 p. 9 Mommsen.; sed iam Hesych s. v. monet: *Ἀμιναῖον δι' ἑνὸς ν τὸν οἶνον λέγει;* cf. et Serv ad Virg. l. l.

11) Ita Auson. Epist. 18, 31. *Solus qui Chium miscet et Ammineum* contra vulgarem vocis quantitatem, quam servarunt Virg G. II, 97. *Sunt et Amineae vites, firmissima vina*, et Seren. Sammonicus c. 29. *Succus Aminaeae vitis cum pane medetur;* cf. et c 37. A vulgari quantitate recedit et A. Septim Severus apud Terent. Maur. 2004 in versu Falisco: *Umbra necat teneras Amineas*

12) ad Virg. G. II, 97, quae repetit Isidor. Orig. XX, 3.

13) Plin. H. N. XIV. 3, s. 4, 41 et Colum. III, 2. Noli vero huc vinum *Taminium* trahere, quod Festus s. v. p. 154 a miro minii colore dictum esse falso ait.

14) ad Catull. 62, 50

15) V. *Ἀβίλλιον* cum glossa οἶνος, ubi cf. Itpp.

16) p. 250 Gothofr. sive p. 25 Müller; sed ibi legendum est ex Plaut. Mil. gl. III, 1, 53 *Animula.*

17) VIII, 29, 5.

nomina appellativam, ut ita dicam, habeant significationem, tum antiquissima Italiae vina, *Eugeneum*, *Helveolum*, *Apicium* id comprobent, consentaneum est *Amineum* quoque nomen primitus non proprium, sed appellativum fuisse. Etenim quemadmodum *Helveolum* a colore helvo sive gilvo et *Apicium* ab apicis forma, ut videtur, nomen traxit, ita et *Eugeneum* dictum est propter nobilitatem sive generositatem, ut apud nos Gutedel, et *Amineum*, quod descendit a graeco ἄμεινον, propter meliorem qualitatem sive saporem, comparatum cum Eugeneo. Neque obstat etymologia, quum ει graecum ante consonantem in latinam *i* transire soleat[1]) et *Amineum* nomen quasi proprium eadem ratione a graeco ἀμειν atque *Eugeneum* a graeco εὐγεν per rusticos graece indoctos conformatum sit. Nomen verò, ut supra demonstratum est, cum re sive cum virtute vini optime convenit.

Vitium Aminearum genera Cato[2]) et ex eo Varro[3]) nominant tria, majusculum, minusculum et geminum, Columella[4]) quinque vel potius sex, germanum majus et minus, geminum majus et minus et lanatum, cui addit speciem singularem, majori geminae non dissimilem, totidemque Plinius[5]), qui tamen nigrae nomen Syriacae impositum fuisse ait. Ex his, quae Columella auctore feracissimae fuisse dicuntur, praeter alias inprimis germana et gemella minores in regione Falerna insertae et cultae erant, quantum ex Catonis[6]), Columellae[7]) et Plinii[8]) verbis colligitur. Utraque in *loco*[9]) *optimo et ostento soli* conserebatur. *Germana* minor acino *ocius*[10]) *et melius deflorescit; habilis arbori nec non jugo*, *illic pinguem terram*, *hic mediocrem desiderat longeque praecedit majorem, quia et imbres*[11]) *et ventos fortius patitur* et largiores profert fructus; gemellarum *minor vulgo notissima*, *quippe Campaniae celeberrimos Vesuvii colles Surrentinosque vestit*[12]); *hilaris inter aestivos Favonii flatus, Austris affligitur*[13]); *ceteris itaque partibus Italiae non tam vineis quam arbusto est idonea; — fructum — duplicem, non absimilem minori germanae, egerit — fecundior etiam mediocri solo* quam maior. Gemellarum uvarum *asperrimus* erat *sapor*[14]), *sed vires praecipuae*, vinum[15]) austerius, sed aeque perenne; omnino uvae illius regionis succi plenae, ut *pira Falerna* indicant apud Plinium[16]) ita dicta *a potu, quoniam tanta vis succi abundat.* Uvae

---

1) Buttm. Gramm. Graec. §. 5 not. 7. T. I p. 24.

2) R. R. 6. 7.

3) R. R. I. 25. 58.

4) R. R. III, 2

5) H. N. XIV, 2, s. 4, 21. 22. et 3, s. 4, 41, qui haec ex Graecino hausisse videtur, ut Columella.

6) R. R. 6.

7) R. R. III, 2.

8) H. N. XIV, 2, s. 4, 21. 22.

9) Cato l. l.

10) Colum. l. l.; cf. et Plin. H. N. XIV, 2, s. 4, 21.

11) Plin. l. l. *Imbres tempestatesque tolerat, non item maior, sed in arbore quam in jugo minus obnoxia.*

12) Colum. R. R. III, 2; cf. et Plin. l. l.

13) Plin. l. l. *Austro laeditur, ceteris ventis alitur, ut in Vesuvio monte Surrentinisque collibus; in reliquis Italiae partibus nonnisi arbori accommodata.*

14) Plin. l. l. 21.

15) Colum. l. l.

16) H. N. XV, 15, s. 16, 53.

Aminei germani minusculi auctore Catone [1]) *in ollis, ollae in vinaceis condebantur, eaedem in sapa, in musto, in lora recte condebantur.* Tribus vini Falerni generibus, austero, dulci, tenui, suum quodque vitium genus fuisse Plinius [2]) indicat; sed singula certo constitui non possunt. Ex vitibus Aminei gemelli minoris Falernum austerum, ex vitibus Aminei germani minoris Faustianum dulce natum fuisse videtur; tertium autem genus Falerni, quod dicitur *tenue*, ex ea specie Aminei, quae Columella [3]) teste *singularis habetur, — maiori geminae non dissimilis, — sed vini sapore aliquanto inferior, quamvis generosissimus sit, — praeferenda etiam propriis virtutibus; nam et feracior est et flore melius exuitur, spissasque et albidas uvas ac tumidioris acini gerit, gracili arvo non desciscit atque ideo inter uberrimas vites numeratur.* Ceterum Plinius [4]) censet *non omittendum* esse *nulli eorum, quae celebrentur* Falerna, *jucundum saporem uvae esse*, dum Columella [5]) auctore *traduntur Amineae — ceteras omnes sapore praecedere.* Praeterea Terentianus Maurus [6]) vites Falernas triferas fuisse significat; sed quum nihil ejusmodi apud Plinium [7]) aliosve scriptum inveniatur, et poeta ubertatem atque praestantiam poeseos per imaginem describere velit, Falernae quoque uvae naturam triferam poetice attribuisse videtur.

De *cultura vinearum*, quantum ad Campaniam et inprimis ad regionem Falernam spectat, haec memoriae prodita sunt. Vineae in solo et pingui et aprico [8]) instituebantur, arbusta in planitie tofacea agri Falerni, colles vinearii ad radices calcarios Massici Calliculaeque et in promontoriis vulcaniis Roccae Monfinae. Dum Massici montis accolae rastris solum vertebant [9]), Campani non utebantur *molitione* [10]) *terrae* sive pastinatione, *quia facilitas ejus soli minorem operam desiderabat.* In transferendis vitibus *similem* [11]) *statum coeli locique* observabant vel stirpem Amineam, quae id sustinere poterat et *naturaliter laetabatur tepore potius quam frigore*, ex frigido in calidum *vel ex macro aut mediocri transducebant in melius.* Vites pro natura soli vel in jugis diffusae serpebant vel in arbustis directae scandebant. *Vineae jugatae,* quales in Falerno, Varrone [12]) auctore erant sublimes, neque arundine aliisve rebus, sed perticis transverse junctae, *compluviatae in longitudinem et in latitudinem jugatae;* eas Campani cum plerisque

---

1) R. R. 7.

2) H. N. XIV, 6, s. 8, 63; cf. verba quae sequuntur.

3) l. l.

4) H. N l. l.

5) III, 2.

6) De metr. 1816 sq. *Atque ille poeta Phaliscus cum ludicra carmina pangit: Uva, uva sum et uva Falerna, et ter feror et quater anno*, ubi fortasse corrigendum *et ter fero vel quater anno*; Santenius voluit *teror* vel *seror*.

7) Plinius H. N. XVI, 27, s. 50, 115 *vites* laudat *triferas* ita vocatas, *quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent*, sed ad eas pertinere Falernas non addidit. Triferas vites Sophocles in fragm. Thyestae apud Schol. Eurip. Phoen. 330 intellexisse videtur.

8) Cato R. R. 6.

9) Virgil. A. VII, 725. *Vertunt felicia Baccho Massica qui rastris.*

10) Colum. R. R. V, 4.

11) Colum. R. R. III, 9, quae transcripsit Pallad. III, 9.

12) R. R. I, 8.

Italiae incolis habebant communes; diversa autem ab aliis, certe ab initio, et peculiaria colebant *arbusta* sive loca consita arboribus ad vites maritandas idoneis, ulmis[1]), populis, aliis, quum Amineas, ita eductas, plurimas ferre uvas animadvertissent[2]). Inde et mustum vel vinum Amineum[3]) dicebatur *arbusticum*. Quae maritatio, res mira et insolita, non modo Polybium Athenaeo[4]) teste commovit, ut διάφορον οἶνον ἐν Καπύῃ τὸν ἀναδενδρίτην commemoraret, sed etiam Catullum[5]) impulit, ut a re nova et admirabili imaginem illam praeclaram repeteret, qua puellae maritandae cum vitibus ad ulmos serpentibus comparantur. Curabant vero ut vites Amineae ulmis essent pares altitudine, vel, ut ait A. Septimius Severus[6]), simul irent cum ulmis. Et hunc morem vitium colendarum apud Campanos vulgarem fuisse dicit Plinius[7]), eum verbis his poetice depingens: *Vites — in Campano agro populis nubunt maritasque complexae atque per ramos earum procacibus brachiis geniculato cursu scandentes cacumina aequant, in tantum sublimes ut vindemitor auctoratus rogum ac tumulum excipiat. Nullo fine crescunt dividique aut potius avelli nequeunt.* Constat autem inprimis ulmos in arbustis Campaniae etiamnunc[8]) vitibus maritari.

De *apparatu curaque vini Falerni* haec constant. Mustum, quod dicitur *pingue*[9]), in lacus et dolia infundebatur; vina *Campaniae*[10]) *nobilissima exposita sub divo in cadis verberari sole, luna, imbre, ventis aptissimum videbatur*, quod iam Catonis aetate fieri solebat; *imbecilla* enim *vina*, ut ait Plinius[11]), *demissis in terram doliis servabantur, valida expositis.* Causam *insolationis* sive expositionis Horatius[12]) his explicat verbis: *Massica in coelo suppones vina sereno, nocturna, si quid crassi est, tenuabitur aura et decedet odor nervis inimicus.* Inde evenit, ut elementa dulcia, quae in musto inerant, facilius solverentur atque ex contagione oxygenii, quod in aere versatur, celerius in spiritum vini commutarentur. Idem Itali etiamnunc in vino colendo facere dicuntur[13]). *Coctura* autem musti

1) Hinc dicit Juvenal. VI, 150 *ulmos Falernas*; cf. Plin. H. N. XVII, 23, s. 35, 200.

2) Geopon. V, 17, 2.

3) Colum. R. R. XII, 41, 2.

4) I, 57 p. 31. Apud Hesych. legitur *πεταυνά* (corrige *πεταυρα*) *μετέωρα ἀμπελουργία* (leg. *ἀμπελουργεῖα*) *ὡς αἱ ἀναδενδράδες*. Cf. et Geopon IV, 1, 1, ubi (14) legitur *ἐν Βιθυνίᾳ τὴν δενδρῖτιν ἄμπελον τῇ κεφαλῇ χαίρειν — καὶ τὴν Ἀμίνεον.*

5) Carm. 62, 49 sqq.

6) Apud Terent. Maur. 2001: *Quando flagella jugas, ita juga, vitis et ulmus uti simul eant; nam nisi sint paribus fruticibus umbra necat teneras Amineas.* Simile praeceptum de palis, sed ex Bithynia repetitum, ubi Amineae colebantur, Geopon. V, 27, 2 commendant. *Τὰς μὲν οὖν Ἀμινίας ὑψηλότερον τῶν ἄλλων δεῖ χαρακοῦν ποδὶ ἑνί, οὐ πλέον δὲ ἓξ ποδῶν.*

7) H. N. XIV, 1, s. 3, 10.

8) Quod Peregrin. de Campan. III, 4 p. 374 sua aetate (1651) factum esse affirmat, id nostro quoque tempore fieri dicit G. v. Martens in libro, qui *Italia* inscribitur, T. II. p. 193: Noch heut zu Tage werden die Reben an nahestehenden Schwarzpappeln, deren Seitenzweige abgeschnitten sind, gezogen.

9) Colum. X, 431: *Ut multo completa Falerno exundent pingui spumantia dolia musto*, quamquam Falernum h. l. pro quovis musto dictum est.

10) Plin. H. N. XIV, 21, s. 27, 136.

11) H. N. XIV, 21, s. 27, 134.

12) Serm. II, 4, 51 sqq.

13) G. v. Martens in l. l. T. II p. 181: Noch jetzt lassen die Italiener den aus den Bottichen abgelassenen und in Fässer gefüllten klaren Wein mit offenem oberen Spundloch bis zur ganz vollendeten Weingährung (Ende November) der Luft ausgesetzt stehen.

eodem consilio[1]) apud veteres Romanos instituta, *ut* vinum, aqua exhalata, *dulcesceret*[2]) *portione virium*, raro vel nunquam in Falernis utebantur, quum vinum ita paratum *ultra annuum spatium* non duraret. Quemadmodum vero alia vina nobilia, ita et Falerna diffusa in apothecis super fumaria exstructis[3]) vel in[4]) tabulatis a fumario remotioribus, quotiescunque opus erat, aliquamdiu reponebantur[5]), ut *amphora fumum* vel

---

1) Itali nunc quoque vina et musta coquunt. Grosley in Neuen Nachrichten über Italien (1766) p. 452 sq. Man behandelt den Wein noch jetzt so wie vor 2000 Jahren, in derselben Art, in denselben Gefässen, in den ersten Monaten nach der Weinlese. — Der Wein siedet in grossen Kesseln auf den Gassen in den Städten Campaniens. G. v. Martens Italien T. II p. 193: Die Sitte, entweder den ganzen Most leicht zu sieden oder einen Theil davon stark einzukochen und mit dem übrigen nicht gekochten zu vermischen, ist noch jetzt Sitte. Idem fit etiamnunc apud Graecos; cf. Ross Reisen in d. Pelop. T. I p. 14, qui quartam vel quintam vini partem coqui dicit.

2) Plin. H. N. XIV, 19, s. 24, 121 et Galen. de medic. temp. IV, 12. T. XI p. 656.

3) Columella R. R. I, 6, 19: *Apothecae recte superponentur his locis* (fumarii), *unde plerumque fumus exoritur, quoniam vina celerius vetustescunt* etc. Vina itaque non in fumariis, sed in apothecis calefiebant. Apothecarum usum in Campania vulgarem fuisse colligi potest ex Galen. de Antid. I, 3. T. XIV p. 19, ubi, postquam de apotheca patris dixit, ita pergit: *Παραπλήσιον δ' οἷς εἴρηκα καὶ κατὰ τὴν Ἰταλίαν εἶδον ἐν τοῖς περὶ Νεάπολιν καὶ τὸν γειτνιῶντα λόφον αὐτῇ τῇ χώρᾳ γενόμενον ὃν ὀνομάζουσι Τριφύλλινον.* Ex Italia nimirum apothecarum ille usus ad Graecos transierat.

4) Colum. l. l. *Propter quod et aliud tabulatum esse debebit, quo admoveantur, ne rursus nimia suffitione medicata sint.*

5) In apothecis, quarum usus apud Romanos post cellas vinarias inventus (Plin. H. N. XIV, 13) et post Catonis aetatem, apothecas non commemorantis (raro et amphoras pro vasis vinariis cf. 105. 113. 115), invaluit (cf. et Plin. H. N. XIV, 14, s. 16, 94), vina vel calefacta veterabant, vel recondita servabantur. Illud in utribus culeisve esse factum rerum naturalium periti quidem contendunt; cf. S. Th. Sömmeringii Versuche u. Betracht. in Denkschr. d. koen. Acad. d. WW. zu München 1811 u. 1812 p. 273 sqq. et quae ex iis leguntur excerpta apud Gilbert. Annal. phys. Tom. LXII p. 106; sed neque utrium culeorumve fit mentio in fundi vinarii instrumentis, quae recensent Cato c. 11 et Varro I, 22, neque quidquam de usu eorum in apothecis apud scriptores legitur. *Uter vini* sive *vinarius* commemoratur apud Plautum Truc. V, 11 ad bibendum, apud Plinium H. N. XXVIII, 18, s. 73, 204 sine ullo additamento, nisi quod *hircinus* dicitur, et utres, ab amphoris distincti, apud Ulpian. in Dig. XXXIII, 6, 3 in legato ejusdem esse juris atque dolia dicuntur. *Culeis* autem sive *coleis* Romani in re vinaria utebantur plerumque pro mensura *musti* (Plin. H. N. XIV, 4, s. 5, 52) et *vini* in universum (Cato R. R. 11 et in Orig. apud Varron. R. R. I, 2, 8, Varro ibid. I, 27, Columell. III, 3, 2 et Ulpian. l. l.) et vini ex doliis hausti (Cato R. R. 148. 154), raro pro dolio ipso; cf. Caton. 113 (114). Vina meliora et firmiora vel protenus ex lacubus (Plin. H. N. XIV, 9, s. 11, 85) vel de doliis (Cato R. R. 113 et Cic. Brut. 83, 287) seriisve in amphoras cadosve diffundebantur (Colum. XII, 27, 28, qui mos diffundendi simul cum apothecis inventus esse videtur; cf. Plin. H. N. XIV, 13, s. 14, 89 cum 14, s. 16, 94) et in apothecis superioris contignationis, ut calefierent, aliquamdiu reponebantur; cf. Galen. de Antid. I, 3. T. XIV p. 18. *Καὶ τοὺς ἄλλους οἴνους ἐστὶ παρ' ἡμῖν δι' ἔτους θερμαίνειν δῆλον.* Hinc et Horatius Od. III, 21, 7 *piam testam descendere jubet*, et Tibullus II, 1, 27 *Falernos* dicit *fumosos* et Ovid. Fast. V, 517 *cadum*. Quemadmodum vero sole utebantur, ut vina in amphoris cadisve ei exposita fervérent et elementa aquosa atque noxia exhalarent (Cato R. R. 105 de vino Graeco: *Ad ver diffundito in amphoras; biennium* [*biduum?* cf. 112. *ponito in sole biduum aut triduum*] *in sole sinito positum esse*; 113 de vino odorato: *Amphoras in sole ponito — et amphoras operito, ne aqua accedat et ne plus quatriduum* [male legitur in Codd. Plinii H. N. XIV, 8, s. 10, 79 *quadriennium*] *in sole siveris*; adde Plin. H. N. XIV, 8, s. 10, 77 de bio vino in cadis; 9, s. 11, 85 de protropo in lagenis et 21, s. 27, 130 de vinis Campanis in cadis), ita et fumum vel calorem in apothecis adhibebant ad vinum in vasis fictilibus, antequam oblinerentur vel picarentur, melius reddendum, ut veterasceret et mitesceret. Omnis enim cura veterum Romanorum in vino apparando spectabat eo, ut austeritatem eius mitigarent et fermentatione acida prohibita dulcedinem eius augerent. Quam rem, si dubia videri poterat, optime declarat Galenus de Antid. I, 3. T. XIV p. 18 sq., qui vini vasa fictilia (*κεράμια*), circumdata herbis admodum foventibus, quibus nomen esset *στοιβή* vel *κολυμβάς* (an *κολλυβάς* ex *κολλυβάτεια*? cf. Schneid.

potius calorem *bibere instituerelur*[1]). Calore enim in se recepto vina austera leniuntur et mitigantur atque etiam firmiora redduntur[2]), sive, ut Columellae[3]) verbis utar, *celerius vetustescunt*[4]) *quae fumi quodam tenore praecocem maturitatem trahunt.* Qui vini calefaciendi usus, post Catonis aetatem a Campanis fortasse inventus[5]), nonnisi coctura quaedam erat lenior et moderatior atque in eius modi quidem apparatu cura culturaque vini Falerni partim posita fuisse videtur, de qua Plinius loquitur. Hinc explicandum est, quod Tibullus[6]) *fumosos Falernos* sive amphoras fumo imbutas *proferri* jubet et quod *Meroe* sive solis in Aegypto ardor, *indomitum cogens spumare Falernum* importatum, *paucis senium contulisse annis* a Lucano[7]) dicitur. Ceterum *cura culturaque,* quae Falernum *collegerat,* iam Plinii[8]) aetate exolevit, quum coloni *copiae potius quam bonitati* eius *studerent.*

Vinorum genera diversa speciesque variae plerumque, ut constat, pro sapore, colore, odore aliisque virtutibus discernuntur, de quibus Galenus[9]) aliquot locis

---

ad Nicand. Theriac. 589 et K. Sprengel Gesch. d. Botan. T. I p. 173, qui poterium spinosum Linn. esse dicit), in apotheca, ut vina a caloribus foci domestici et a fomentis herbarum calefierent, recondita fuisse ait eumque morem vini calefaciendi in multis Italiae locis fuisse addit. Qui tamen vini apparatus seculo tertio p. Ch. n. exolevisse videtur; certe post Galenum nulla ejus fit mentio neque a Palladio, qui sua ex Columella excerpsit. Alii enim aliis utebantur remediis, ut asperitatem vini mitigarent et lenitatem excitarent, gypso vel calce, argilla vel marmore, sale vel mari, pice vel resina; cf. Plin. H. N. XIV, 19, *s.* 24, 120. Ceterum dolia aliaque vasa maiora in apothecis reposita fuisse non memini me legere. Praeterea Romani apotheca (*dominica*), ut cella vinaria, ad vina meliora aliquamdiu ibi recondenda utebantur; cf. Burm. ad Anth. Lat. T. I p. 478 et Torrent. ad Horat. Od III, 28, 7. Is apothecae usus, quem vocabulum indicat et res ipsa docet, iam a Cicerone laudatur Phil. II, 27, confirmatur a Vitruv. VI. 5 (8), 2, a Plinio H N. XIV. 4, *s.* 6, 57 et 16, *s.* 18, 118, ab Ulpiano in Digest. XXXIII, 7, 12, 29 et XLVII, 2, 21, 6 et duravit etiam seculo quarto ineunte p. Ch., ut ostendit Arnob. adv. gent. VII, 31 p 236 (251 Orell). Eadem *ἀποθήκη* laudatur apud Graecos ab Jul Polluce Onom. VI, 2 (15) p. 273, ubi comparatur cum Xenophonteo *οἰνών*, et ab Hesychio v. *οἰνῶνες*. A Romanorum apotheca erat diversa *cella vinaria*. cujus de situ *in plano* septentrionem versus agunt Varro R. R. I, 13; Vitruv. I, 4, 2; VI, 6 (9), 2; Columell. R R. I, 6; XII, 18; Plin. H N. XIV, 21, *s.* 27, 132 et Pallad. I, 18. Ibi praeter amphoraria vina (cf. Horat. Od. I, 37, 6) et leviora minorisque notae in doliis cupisque condebantur.

1) Horat. Od. III, 8, 11. Barry Observat. of the vines p. 64 id de doliis aromate suffitis male intellexit.

2) Galen. de antid I, 3 p. 14.

3) R. R. I, 6, 20; adde Galen. de medicam. temperam. IV, 12. T. XI p. 656.

4) Galen. de antid. I, 3. T. XIV p. 14. *Καλοῦσι δὲ οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ παλαιοῦσθαι τὸ μεταβάλλον ἑτοίμως εἰς τὴν τοιαύτην ποιότητα τῶν παλαιουμένων, [ὥστε τοὺς οἴνους ποτίμους εἶναι].*

5) Ovid quidem Fast. V, 517 jam Hyriea hoc vini condendi more usum fuisse fingit, sed in fabula; et Aristotel. Meteor. IV, 10, 7 Arcades vinum, utribus (*ἀσκοῖς*) inditum, fumo siccasse memoriae prodit. Apothecae certe usum in vino condendo Itali addidisse videntur; cf. p. 46 not. 3 et 5.

6) II, 1, 27, ubi pluralis multitudinem cadorum significat.

7) X, 162.

8) H. N. XIV, 6, *s.* 8, 62. *Cura culturaque id collegerat. Exolescit haec* (ita ex cod. rescripto, quod respicit ad §. 61) *quoque copiae potius quam bonitati studentium.* Dalechamp. et Peregrin. l. l. II, 10 p. 109 *culpa* addi volunt ante v. *copiae*, quod probat Silligius; Urlichs in Vindic. Plinian. corrigit *studentibus*. Locus est sanus, quum v. *studentium* pendeat ex v. *haec*.

9) De decret. Hippocr. X, 6. Tom. V p. 771; de compos. medic. sec. loc. I, 8. T. XII p. 473 et Comment. in Hippocr. de acut. morb. III, 1. T. XV p. 626 sq.

disserit. Plinius[1]), ut aliorum vinorum[2]) compluria, ita et Falerni, in agro Falerno et Faustiano nati, *tria* constituit *genera, austerum, dulce, tenue*; *quidam* tamen, eodem Plinio teste, *ita distinguunt*, ut *summis collibus Caucinum gigni, mediis Faustianum, imis Falernum* dicant. Galenus, qui vina Falerna ipse gustu exploravit[3]), plerumque duplex genus laudat, Falernum austerum et Faustianum dulce[4]), et his distinguit verbis[5]): *Δυοῖν δ' αὐτοῖν εἰδῶν αὐτοῦ (τοῦ Φαλερίνου) μηδὲν διαφερόντων ἀλλήλων ἀρετῇ ἡδίονα τὴν ἀντίδοτον ὁ γλυκερὸς ἐργάζεται, καὶ καλοῦσιν αὐτὸν ἰδίως Φαυστιανόν·* et alio loco[6]): *Αὐτῶν τῶν Φαλερίνων ὁ μέν τις ἱκανός ἐστι γλυκύς, ὃν ὀνομάζουσι Φαυστῖνον* [leg. *Φαυστιανόν*], *ὁ δ' ὡς πρὸς ἐκεῖνον αὐστηρός, ὡς δὲ πρὸς τὸν Σιγνῖνόν τε καὶ Μάρσον γλυκύς.* Quibuscum consentit Athenaeus[7]): *Εἴδη δ' αὐτοῦ δύο ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων· οὗτος δὲ τοιοῦτος γίνεται, ὅταν ὑπὸ τὸν τρυγητὸν νότοι πνεύσωσι, παρ' ὃ καὶ μελάντερος γίνεται· ὁ δὲ μὴ οὕτω τρυγηθεὶς αὐστηρός τε καὶ τῷ χρώματι κιρρός*[8]).

Ex quibus apparet Plinii aetate unum quidem fuisse nomen omnibus vinis in Falerno et Faustiano agro natis, Falernum, cujus species tres pro saporis varietate distinguebantur, sed iam tunc iisdem vinis pro locorum diversitate, ubi genita essent, a nonnullis tria nomina indita fuisse Falernum, et Faustianum, et Caucinum, quorum duo priora ad seculum usque secundum p. Ch. n. in usu fuerunt, donec Falernum solum mansit. Inde explicandum est, quod Aetius medicus seculi sexti Amineum quidem austerum a Falerno dulci distinguit[9]), sed Faustianum non commemorat.

Falernum austerum, quod Plinius laudat, sive adstringens et natum, ut videtur, ex Amineis gemellis minoribus, quae Columella auctore[10]) *austerioris* sunt *vini*, idem est, quod Corn. Celsus[11]) et Aetius[12]) nominant *Amineum austerum*, Galenus autem plerumque intelligit, simpliciter nuncupans *Falernum*[13]). Quod Plinius laudat *dulce Falernum*, ex Amineis germanis minoribus, ni fallor, ortum, quidam apud Plinium[14]) et Corn. Fronto[15]) et Galenus[16]) una cum Oribasio dixerunt *Faustianum* sive *Faustianum*

---

1) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

2) H. N. XXIII, 1, s. 22, 39.

3) De dignosc. puls. I, 1. T. VIII p. 774 et de antid. I, 4. T. XIV p. 25.

4) De theriac. ad Pison. 14. T. XIV p. 267 sq.; cf. infra p. 49 not. 1.

5) De antidot. I, 3. T. XIV p. 20.

6) De method. XII, 4. T. X p. 832.

7) I, 48 p. 26, c.

8) i. e. gilvus. Male intellexit Car. Stephanus in Vineto fol. 70, b. *Duorum autem sunt generum Falerna; est enim Falernum austerum, cui rufus color.*

9) Tetrabibl. I, 1 v. κριθή, quae confer cum I, 2, 242 et 252.

10) R. R. III, 2. *Gemellae — austerioris vini sed aeque perennis. Earum minor vulgo notissima, quippe Campaniae celeberrimos Vesuvii colles Surrentinosque vestit etc.*

11) IV, 2, 4 p. 192 et 19, 32 p. 232.

12) Cf. not. 9.

13) De method. l. l. et de theriac ad Pison. 14. T. XIV p. 267 sq.

14) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

15) De fer. Alsiens. Ep. 3, 5.

16) Cf. supra not. 5 et 6; adde Galen. de alim. succ. 11. *Γλυκεῖς εἰσι μετρίως ὥσπερ — Φαυστιανὸς Φαλερῖνος*, quae repetit Oribas. Collect. Med. V, 6, 26.

Falerinum[1]), quippe quod in agro Faustiano, qui nomen a Sulla Fausto[2]) dictatoris filio traxerat, potissimum gigneretur. Athenaeus[3]) pro nomine Faustiani dulce Falernum habet, quod non, ut Plinius indicat, ex alio vitium genere nasci, sed tum effici minus recte dicit, quum austri per vindemiam flarent, quamquam iidem venti flori vitium gemellorum nocere feruntur[4]).

Vinum vero *Caucinum*, quod vocabulum Silligius Plinio ex codicibus optimis[5]), Toletano, Chiffletiano, aliis, bene restituit, una cum Falerno, cui simile fuisse dicitur, ab Athenaeo[6]) vinis nobilibus adnumeratur. Id, mea quidem sententia, in promontoriis Roccae Monfinae exeuntibus natum, ab eo monte nomen habuit, ut supra[7]) dictum est, Caucinum.

Falernum autem *Opimianum*, quod a Trimalchione jactabundo in epulis delicatissimis appositum fuisse Petronius[8]) fingit, non species erat singularis vini Falerni, sed vinum optimum, quod anno DCXXXIII Lucio Opimio Nepote COS. provenisse fertur. Et quum constet vina singula tunc genita nominibus suis nondum nuncupata fuisse, sed omnia unum idemque nomen Opimii habuisse[9]), insignem professus est stultitiam Trimalchio iste non solum in aetate vini, quum tesserae amphorarum vinum esse centum annorum pro ducentis indicarent, sed etiam in nomine vini, quod nullum fuit. Tunc vero anno circiter sexagesimo p. Ch. n. vina Opimiana durasse negat quidem Velleius [10]), sed affirmat Plinius [11]) laudatque ea saepius Martialis [12]) sane ex more poetarum. Et

---

1) Galen. de alim. succ. 11. T. VI p. 801 et de Sanit. V, 5. Cf. antea not. 9.

2) Sulla enim, qui anno DCLXXII potestatem proscribendi et colonias deducendi ex lege L. Flacci acceperat (Plut. Sull. 33), non solum *Urbanam* in agro Falerno condidit (cf. supra p. 21), sed etiam sibi suisque optimam Falernae regionis partem nimirum vindicaverit. Quo factum est, ut et Pompeius Macula, moechus Faustae, quae filia erat Sullae, praediolum in Falerno haberet (cf. supra p. 34) et antiquius agri nomen Caedicianum in Faustianum, a filio Sullae *Fausto* (Plut. Sull. 34) tractum, abiret. Id, quod iam propter nomen et res modo commemoratas verisimile est, confirmat, etiamsi in M. Senecam cavillatur, Corn. Fronto de feriis Alsiens. 3, 4 his: *Ut homo ego multum facundus et Senecae Annaei sectator Faustiana vina de Sullae Fausti cognomento felicia appello. — Neque enim me decet, qui sim iam homo doctus, volgi verbis Falernum vinum — appellare.* Inde explicandum est, quod in ponte Campano vicus non erat conditus et quod nomen novum Faustiani postea a vetere summovebatur; simul apparet in codice rescripto Plinii H. N. XIV, 6, s. 8, 62. 63. male legi *Faustinianum.* In titulo Melphiae reperto commemoratur *Nonius Faustianus* quidam; cf. Mommsen Inscr. nr. 158.

3) L. l.

4) Colum. III, 2. *Gemella — minor — hilaris inter aestivos Favonii flatus, Austris affligitur;* adde Plin. XIV, 2, s. 4, 22.

5) Quibus nunc accedit Cod. rescriptus.

6) I, 48 p. 27, c. *Εὐγενὴς ὁ Καυκῖνος καὶ τῷ Φαλερίνῳ ἐμφερής*, ubi Hermolaus male conjecit *Καυλῖνον*, quod Plin. teste XIV, 6, s. 8, 69 prope a Capua gignebatur; cf. Peregrin. de Campan. III, 4 p. 377.

7) Cf. p. 31.

8) c. 34. *Statim allatae sunt amphorae vitreae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia* sive tesserae *erant adfixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum.*

9) Plin. H. N. XIV, 14, s. 16, 94. *Anno DCXXXIII — nondum tamen ista* (vinorum) *genera in claritate erant: itaque omnia tunc genita unum habent Consulis* (Opimii) *nomen.*

10) II, 7, 5. *Hic est Opimius, a quo Consule celeberrimum Opimiani vini nomen, quod iam nullum esse spatio annorum colligi potest, quum ab eo sint ad te, M. Vinici, Consulem anni CLI.*

11) H. N. XIV, 4, s. 6, 55. *Anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio Consule. — Durantque adhuc vina ducentis fere annis, iam in speciem redacta mellis asperi.*

12) I, 27, 7. *Testa sed antiqui felix siccatur Opimi;*

post Opimium Consulem singulis annis vina Falerna lecta atque in amphoris nota inscriptis servata fuisse docent Tibullus [1] et Galenus [2].

Gauranum denique *vinum* sive *Gaurianum* [3] ex vitibus Falernis ortum fuisse Plinius [4] testis est, qui *Gauranas* scit *a Falerno agro translatas vocari Falernas;* sed quum in parte Gauri montis Puteolos spectante [5] nasceretur [6] et virtutes primas exuisset [7], pro specie vini Falerni haberi non magis potest quam alia Italiae vina ex Amineis nata.

Falernum inter omnia Italiae vina si non primum, quem de sententia gulonum prius *Caecubum* [8], postea judicio Octaviani Augusti *Setinum* [9] habebat, at certe secundum, ut constat [10], nobilitatis obtinebat locum. Quare non est mirum, quod dicitur *merum Thyonianum* [11] sive Baccho dignum vel *nectareum* [12] nectaris instar, vel *obliviosum* [13] curas depellens, sed quod ejusmodi habuit *virtutes* atque *proprietates*, ut tantam nancisci posset auctoritatem. Quae virtutes omnino tam peculiares atque singulares erant, ut Galenus [14] Falernum, quod antea non gustaverat, Romae oblatum statim dignosceret. Sunt vero positae maxime in colore, odore, liquore sive substantia, sapore, viribus, firmitate et efficientia medica; quas qui explicare velit, praeter vitis species, coeli solisque vim et curam ab incolis vino adhibitam, etiam soli naturam, in quo genitum fuerit, respiciat necesse est, id quod iam Plinius [15] observavit. Solum enim regionis Falernae, ut supra demonstratum est, in quam Massicus et Callicula, jugi

---

II, 40, 5. *Caecuba saccentur quaeque annus coxit Opimi;* cf. et XIII, 113, 1.

1) II, 1, 27. *Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos consulis.*

2) De antid, I, 4. T. XIV p. 25. *Ἐγώ γέ τοι τῶν οἴνων τῶν Φαλερίνων ἑκάστου τὴν ἡλικίαν ἀναγιγνώσκων ἐπιγεγραμμένην τοῖς κεραμίοις εἰχόμην τῆς γεύσεως*

3) Ita apud Galen. de method. XII, 4. T. X p. 833 et de antid. I, 3. T. XIV p. 16; idem dicitur de alim. succis 11. T. VI p. 806 *Γαυρίας* et apud Athenaeum I, 48 p. 27 *Γαυρανός*; cf. Daremberg ad Oribas. T. I p. 637 sq.

4) H. N. XIV, 3, s. 4, 38.

5) Hoc Gauranum, non Falernum, intelligit Sachs in Ampelogr. p. 426 dicens generositatem ejus ex auris sulphureis natam fuisse, quae vicinis Baiis et Puteolis afflassent.

6) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 64. *Certant Massica atque* (ita Codd. optimi, *adque a* Cod. rescript. pro *aeque*, quod Peregrin. l. l. II, 17 p. 173 explicare frustra studet) *a monte Gauro Puteolos Baiasque prospectantia;* cf. et Galen. de antid. I, 3. T. XIV p. 16. Ceterum cf. de Gauro monte, quae supra p. 31 not. 3 dixi.

7) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 64 Falernis secundum, Gauranis tertium nobilitatis locum statuit; at Galenus de meth. et antid. ll. ll. vinum Gauranum dicit aquosum, ut Oribas. epitomator Coll. med. V, 6, ubi pro *Ταυριανὸς* bene restitutum est *Γαυριανός* Athenaeus I, 48 p. 27. *Ὁ Γαυρανὸς δὲ καὶ ὀλίγος καὶ κάλλιστος, προσέτι τε εὔτονος καὶ παχύς· Πραινεστίνου δὲ καὶ Τιβουρτίνου λιπαρώτερος.*

8) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 6. *Antea* (ante Setinum) *Caecubo erat generositas celeberrima.*

9) Plin. l. l. 60. *Divus Augustus Setinum praetulit cunctis et fere seculi principes.* Quamquam idem Plinius, ut *de principatu vini se quisque iudicem statuat*, monet.

10) Plin. l. l. 62. *Secunda nobilitas Falerno agro erat et ex eo maxime Faustiano.*

11) Catull. 27, 7. *Hic merus est Thyonianus.*

12) Martial. XIII. 108, 1.

13) Horat. Od. II, 7, 21. *Oblivioso levia Massico ciboria exple.*

14) De dignosc. puls. I, 1. T. VIII p. 774.

15) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 70. *Manifestum est patriam terramque referre, non uvam — cum eadem vitis aliud aliis in locis polleat.*

Apennini quasi promontoria, excurrunt et Rocca Monfina olim ignivomus torrentes igneos emisit, constat elementis et calcareis et vulcaniis, vel separatis vel commixtis, quod haud facile aliis in locis Italiae invenias. Quae soli conditio effecit, ut pro ratione elementorum eorumque temperatione variae vites varia vini genera progignerent, austera sive linguam paululum adstringentia in locis calcareis, dulcia atque fortia in tofaceis exesisque partibus torrentis vulcanii [1]).

Sed ut ad singulas *vini Falerni virtutes* transeamus, constat *colores* vini tres [2]) a veteribus discerni, album, nigrum, medium, vel secundum Plinium [3]) quattuor, album, fulvum, sanguineum, nigrum [4]), vel quinque, ut Galenus [5]) vult, λευκὸν καὶ μέλαν καὶ κιρρὸν καὶ ξανθὸν καὶ ἐρυθρόν. Vinum Falernum nunquam, quantum sciam, album λευκὸν [6]) dicitur, sed κιρρὸν [7]), quod est gilvum, subflavum, melinum, colori sucini sive electri simile, quamobrem et sucinum ipsum, molli fulgore perspicuum, nominatum est Falernum [8]). Is color erat communis fere omnibus vinis Falernis [9]). Eadem vero saepissime dicuntur *nigra* [10]) vel *fusca* [11]) μέλανα. Quo colore vel iam musta inficiebantur, ut Athenaeus [12]) refert, si Austri dum vindemiatur flabant, vel vina condita colore gilvo propter vetustatem mutato, ita ut quo vetustiora essent, eo magis nigrescentia primum flava, tum fulva, denique fusca fierent. *E nigris vina vetustate in album colorem transiisse*, quod Plinius [13]) in aliis vinis factum esse dicit, in Falerno non est observatum.

Quot sunt colores vinorum, tot *odores* [14]). Vina Falerna nigra ad ea pertinebant, quae εὐώζη [15]) odorata odorem gratum vel e longinquo diffunderent, ut Martialis [16])

---

1) Hinc evenit, ut in Italia inferiore vina plerumque ardentia et dulcia, in superiore et media magis austera gignantur.

2) Athenae. I, 59 p. 32, c. *Τῶν οἴνων ὁ μὲν λευκός, ὁ δὲ κιρρός, ὁ δὲ μέλας*; Gell. XIII, 30, 14. *Non vides apud Mnestheum scribi tria genera esse vini, nigrum, album, medium, quod vocant κιρρόν.*

3) H. N. XIV, 9, s. 11, 80.

4) Plautus Menaechm. V, 5, 17 nominat *atrum*; Martial. II, 40, 6 *fuscum*.

5) Comment. in Hippocr. III, 1. T. XV p. 527.

6) Dioscorid. de mater. med. V, 11 Falernum in λευκοῖς commemorat, sed obiter tantum loquitur, ut Galenus de method. ad Glauc. II, 3. T. XI p. 87. Idem tamen Galenus de Sanit. IV, 6. T. VI p. 275 distinguit *Φαλερῖνον κιρρὸν* a Sabino albo (*λευκοῦ*) et de aliment. succis 12. T. VI p. 801 Falernum *κιρρὸν* ab Hippodamanteo fulvo (*ξανθοῦ*).

7) Athenae. I, 48 p. 26, c; cf. Galen. de method. XII, 4. T. XII p. 835, de compos. medic. per gen. IV, 1. T. XIII p. 659.

8) Plin. H. N. XXXVII, 3, 12. *Summa laus Falernis (sucinis) a vini colore dictis, molli fulgore perspicuis.*

9) Galen. de alim. succis 11. T. VI p. 801 eundem colorem et Faustiano attribuit.

10) Ita *Massica* apud Martial. I, 27, 8 (*Egerit et nigros Massica cella cados*) et *Falerna* apud Martial. VIII, 56, 14; 77, 5; IX, 23, 8; XI, 8, 7; 50, 7 et in Anthol. Lat. III, 29, 10 (Nr. 800 ed. Meyer.).

11) Martial. II, 40, 6. *Condantur parco fusca Falerna vitro.*

12) I, 48 p. 26, c. *Ὁ Φαλερῖνος οἶνος — γλυκάζων — γίνεται, ὅταν ὑπὸ τὸν τρυγητὸν νότοι πνεύσωσι, παρ' ὃ καὶ μελάντερος γίνεται.*

13) H. N. XIV, 2, s. 4, 26.

14) Galen. Comment. in Hippocr. III, 1. T. XV p. 627 distinguit suaveolentia a male olentibus et inodoris.

15) Galen. de method. XII, 4. T. X p. 835 et Aetius Tetrabibl. I, 2, 252.

16) XI, 8, 7. *Amphora quod nigri, sed longe fracta, Falerni — redolet, — hoc fragrant pueri basia mane mei.*

et Silius Italicus [1]) indicant, adeoque ex epota testa, quod ait Phaedrus [2]), late spargerent. Ceterum quum veteres observassent dulcia vina austeris minus esse odorata [3]) capitique minus nocere, *Massica* [4]) *coelo supponebant vina sereno, ut decederet odor nervis inimicus.*

Porro *substantia*, quae tenuis vel crassa vel media in vinis esse solet [5]), in Falerno erat Plinio [6]) teste et judice Galenio [7]) *tenuis* sive subtilis λεπτὸς et pellucida διαυγής [8]); propterea Horatius [9]) Falernum nominat *liquidum;* nam nihil pingue [10]), nihil crassi inerat, et *si quid* ejusmodi in Massicis erat, *coelo supponebant sereno, ut nocturna tenuaretur aura* [11]).

Maxime vero discernuntur vina *sapore*, qui Plinio [12]) auctore *et austerus, et acutus, et dulcis, et suavis* esse potest [13]), prouti *terrenus humor*, de sententia Vitruvii [14]), *suis proprietatibus saporum in radicibus infusus enutrit materiam, per quam egrediens ad cacumen profundat proprium loci et generis sui fructus saporem.* In universum fertur Falernum suavissimum [15]) fuisse Italiae vinum atque omnium optimi succi [16]). Idem vero dicitur vulgo *austerum* [17]), quod non ita intelligi debet, ut fuerit per se acerbum et asperum, sed, ut Galenus [18]) docet, minus dulce et suave, quam alterum genus, quod Faustianum nominabant, et linguam adstringens. *Austerum* vero erat inprimis novum Falernum Aminearum gemellarum, quae teste Columella [19]) austerioris erant vini. Austeritatem decem [20]) per annos post vindemiam retinebat, tum dulcius

---

1) VII, 191. *Dulcis odoratis humor sudavit ab uvis.*

2) Fab. III, 1, 1. 2.

3) Plin. H. N. XIV, 9 (init.). *Vinum omne dulce minus odoratum, quo tenuius, eo odoratius.* Aristot. Problem. III, 13 p 873 Bekk. *Ὁ μὲν γλυκὺς (οἶνος) ἄνοδμος, ὁ δὲ αὐστηρὸς οὔ. ὀσμὴ δὲ πᾶσα βαρύνει κεφαλήν.*

4) Horat. Sat. II, 4, 51 sqq.

5) Galen. Comment. in Hippocr. de morb. acut. III, 1. T. XV p. 627 distinguit aquosum, tenue, crassum et duo alia in medio posita.

6) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

7) De sanit. IV, 6. T. VI p. 275.

8) De compos. medic. sec. gen. IV, 1. T. XIII p. 659. *Διαυγὴς δὲ τὴν σύστασιν.*

9) Epist I, 14, 34.

10) Pingue tantum dicitur ***mustum Falernum*** a Columella X, 431 sq.

11) Horat. Serm. II, 4, 51 sq.

12) H. N. XV, 27, s. 32, 107.

13) Galen. Comment. in Hipp. I, l. distinguit dulce et austerum, et medium utriusque, et mixtum ex utroque et acre; adde eundem de compos. medicam. sec. locos I, 8. T. XII p. 473.

14) Arch. VIII, 3 (4), 12, ubi et ***Falernum*** commemoratur; cf. supra p. 32.

15) Athenae. I, 59 p. 33, a. *Τῶν δ' οἴνων χαριέστατος ὁ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἀλβανὸς καὶ ὁ Φαλερνίτης*, quae fortasse hausta sunt ex Dionys. Halic. Antiq. XIV, 12. *Ὁ (ἐν Ἀλβανίᾳ) φυόμενος μετὰ τὸν Φαλερῖνον ἥδιστος οἴνων μελικράτῳ μάλιστα προσεμφερής.*

16) Aetius Tetrab. I, 2, 252.

17) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 63; Athenae. I, 48 p. 26, c; Galen. de Theriac. ad Pison. 14. T. XIV p. 267 sq. *Ἔστω δὲ ὁ οἶνος κάλλιστος, οἷος ὁ Φαλερῖνος γλυκὺς ὁ μὴ Φαυστιανὸς* (lege *μὴ ὁ Φαυστ. γλυκύς*), *ἀλλ' ὁ δριμύς τε καὶ πᾶσι καλούμενος ἄντος* (lege *αὐστηρός;* cf. de method. XII, 4. T. X p. 832 sq. et de antid. I, 3. T. XIV p. 141.

18) De method. XII, 4. T. X p. 832 et de antid. I, 3. T. XIV p. 20.

19) R. R. III, 2 et Plin. H. N. XIV, 2, s. 4, 21. ***Gemellarum — asperrimus sapor.***

20) Athen. l. l. *Ὁ Φαλερῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα ἐστὶ πότιμος.*

vel suavius fiebat. Sed etiam *acre* [1]) δριμὺ [2]) interdum dicitur, quod rugas frontis duxerit, nimirum in cauponis [3]) venditatum, ut nunc quoque fit.

Dulce autem nominant Plinius [4]), Galenus [5]), alii [6]) alterum Falerni genus, quod Galeni certe aetate Faustianum dictum, vel iam in vindemiando, quando Austri flabant [7]) et uvae ideo maiorem assequebantur maturitatem, vel temporum decursu in media [8]) ejus aetate, quae *a quinto decimo anno incipiebat*, in dulcedinem convertebatur. Quare *vetus* Falernum, quod saepius dicitur [9]), est idem atque dulce, suave. Sed ubi nimium diu conservatum veteravit, medicamento simile [10]) factum, caput doloribus afficiebat [11]) neque jucundi erat saporis. Quare *M. Cicero,* ut Macrobius [12]) narrat, *cum apud Damasippum coenaret et ille mediocri vino posito diceret: Bibite Falernum hoc, annorum quadraginta est; Bene, inquit, aetatem fert;* et Galenus [13]) Falerno, quod prae vetustate amarum πικρὸν sit factum, ad theriacen uti vetat. Catullus [14]) autem in carmine lepidissimo pincernam exhortatur: *Minister vetuli, puer, Falerni, inger mi calices amariores,* quippe qui melius et meracius bibere vellet vinum mediae aetatis, vel quia *in vino nimis veteri ipsa nos amaritudo* Seneca [15]) auctore *delectat.* Tertium denique Falerni genus laudat Galenus [16]), quod *neque dulce, neque austerum* est, sed medium inter utrumque habet locum, id quod Plinius [17]) v. *tenue* significare videtur.

Vires quod attinet, ubi quaeritur, num vinum sit forte, validum, fervidum, an leve, imbecillum, aquosum [18]), *Falernum* plerumque dicitur *forte* [19]), *severum* [20]), *vehemens* [21]), *ardens* [22]), θερμόν [23]); nam *Aminearum gemellarum,* ut Plinius [24]) docet, erat

---

1) Juven. XIII, 216. *Ruga cogitur in frontem velut acri ducta Falerno.*

2) Galen. de Theriac. ad Pison. l. l.; cf. antea not. 17.

3) Galen. de antid. I, 4. T. XIV p. 25.

4) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

5) De alim. succis l. l. p. 801. *Τινὲς μὲν γλυκεῖς εἰσι μετρίως ὥσπερ — ὁ Φαυστιανὸς Φαλερῖνος;* adde de method. XII, 4. T. X p. 832. Idem de aliment. succ. 11. T. VI p. 802 et de meth. XII, 4. T. X p. 831 nominat Falernum *εὐχυμότατον* optimi succi.

6) Athenae. I, 48 p. 26, c. *Ὁ Φαλερῖνος γλυκάζων.*

7) Athenae. l. l.

8) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 34.

9) Horat. Sat. II, 3, 115.

10) Athenae. I, 59 p. 33, a. *Ὁ Φαλερνίτης — πεπαλαιωμένος καὶ κεχρονικὼς φαρμακώδης ὢν καροῖ λίαν ταχέως.*

11) Athenae. I, 48 p. 26, c. *Ὁ Φαλερῖνος οἶνος — ἐστὶ πότιμος — μέχρις εἴκοσιν· ὁ δ' ὑπὲρ τοῦτον ἐκπίπτων τὸν χρόνον κεφαλαλγικός.*

12) Sat. II, 3, 2.

13) De antid. I, 3. T. XIV p. 20.

14) Carm. 27, 1, ubi v. *amariores,* quod et Gellius VII, 20, 6 habet, male corrigunt.

15) Epist. 63.

16) De antid. I, 5. T. XIV p. 29. *Δύο γὰρ [τοῦ Φαλερίνου] εἴδη, γλυκὺς μὲν ὁ ἕτερος, ὁ δὲ ἕτερος ὥσπερ οὐ γλυκύς, οὕτως οὐδ' αὐστηρός, ἀλλ' ἐν τῷ μέσῳ κατά γε ταῦτα τῶν τε αὐστηρῶν καὶ τῶν γλυκέων οἴνων.*

17) H. N. XIV, 6, s. 8, 63.

18) Galen. Comment. in Hipp. III, 1. T. XV p. 628 distinguit quattuor ejusmodi genera.

19) Horat. Serm. II, 4, 24.

20) Horat. Od. I, 27, 9. 10.

21) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 21, 36. *Vehementiae minus Falerna habent* quam Setina.

22) Horat. Od. II, 11, 19; Martial. IX, 74, 5; XIV, 113, 1; cf. et Juvenal. IV, 138. *Quum pulmo Falerno arderet.*

23) Galen. de sanit. V, 5 et de method. XII. 4. T. X p. 831 et 836.

24) H. N. XIV, 2, s. 4, 21.

asperrimus sapor, sed vires praecipuae. Quod tamen *solum vinorum*, Plinio[1]) teste, *flamma accenditur*, non debet ita intelligi, ut dicatur vim habuisse tantam, ut flammam emiserit, quod hodieque fit in alcohole vini quod dicunt[2]). Id enim in vino ullo fieri posse Hesselius, collega naturae rerum peritissimus, negat, nisi vinum diutius conditum in utre, qui particulas vinosas aquosis exhalatis servet, tantopere sit condensatum[3]), ut vis ignea vini ad accendendum apta reddatur. Vinum dulce sive passum, utpote pingue, sicut oleum, comburi (paullatim) fumumque emittere, vinum autem vulgare sive austerum flammam (micantem) excitare sive effulgere affirmat et Aristoteles[4]). Vinum itaque apud Plinium intelligi debet. quod non igne admoto accensum flammas emittat, sed quod flammis infusum ab his consumatur, ut Theophrastus[5]) rem explicat. Et sane Falernum sive Faustianum dulcissimum erat vinorum Italorum, ita ut *solum* comburendo sive in fumum commutando aptum a Plinio dici posset. Idem vinum dicitur *lene*[6]) vel *languidum*[7]), graece κοῦφον[8]), apud Italos nunc *vino leggiere* et in modum vini Gallo-Campanici, quo hodie utimur, spumasse[9]) fertur.

Sed et *firmitas* in vino Falerno pro virtute habebatur et laudabatur. Etenim ut *vites Amineae* dicuntur[10]) *firmissima vina* et Plinio auctore[11]) *principatus datur* uvis *Amineis firmitatem propter senioque proficientem vini eius utique vitam*, ita et vinum ipsum praedicatur *firmum*[12]), et *aeque perenne*[13]), sibi constans, graece μόνιμον[14]), et *immortale*[15]), quod non est antiquissimum, sed multos annos sive aetatem sine damno ferens.

Praeterea Falernum habet *virtutes medicas*[16]), non modo quas vetustate nactum est, ubi φαρμακῶδες[17]) medicatum dicitur, sed etiam quae a natura benevola ei ingenitae erant et a scriptoribus medicis multum certatimque laudantur. In universum iam Plinius[18])

---

1) H. N. XIV, 6, s. 8, 62, ubi Cod. rescriptus: *Nec ulli nunc vino maior auctoritas; solo vinorum flamma accenditur. Tria eius genera* etc. Codd. Herm. Barbari et Dalechampii habent *solum*, recte, ut ex iis, quae supra dixi, patet; accedit quod collocatio vocabulorum et quae sequuntur *tria eius genera* subiectum *solum vinorum*, non *flamma* postulant.

2) Ita locum interpretatus est Forcellini v. *Falernus*.

3) Aristotel. in Meteorol. IV, 10, 7 vinum Arcadicum fumo densatum dicit.

4) Meteor. IV, 9, 35. *Οἶνος δ' ὁ μὲν γλυκὺς θυμιᾶται· πίων γὰρ καὶ ταὐτὰ ποιεῖ τῷ ἐλαίῳ· οὔτε γὰρ ὑπὸ ψύχους πήγνυται καίεταί τε. — Ὁ τυχὼν δ' οἶνος μικρὰν ἔχει θυμίασιν, διὸ ἀνίησι φλόγα*

5) De igne §. 67 p. 728 Schn. *Ὁ (sc. τυχὼν) οἶνος ἐγχεόμενος ἐπὶ τὴν φλόγα καθάπερ τοῖς σπένδουσιν ἐκλάμπει καὶ ἡ θάλαττα, ὅταν ἀποσβεννύωσιν.* Quem ad locum cf. J. G Schneider in Eclog. Phys. T. II p. 138 sqq.

6) Horat. Sat. II, 4, 26.

7) Horat. Od. III, 21, 8 de Massico *promere languidiora vina.*

8) Athenae. I, 48 p. 26, e. *Ὁ Στατανὸς — ἐφάμιλλος τῷ Φαλερίνῳ, κουφότερος.*

9) Propert. I, 32, 39 sq.; Colum. X, 431; Lucan. X, 163; Sidon. Apoll. Ep. II, 13. *Spumabant Falerna gemmae feraces*, et Prudent. Psychom. 368. *Cantharus ingens despuit effusi spumantia damna Falerni.*

10) Virg. G. II, 97.

11) H N. XIV, 2, s 4, 21.

12) Cael Aurelian. de morb. acut. II, 37. 212 p 168.

13) Colum. III, 2.

14) Galen. de antid. I, 3. T. XIV p 19 *φύσει μόνιμος.*

15) Martial. IX, 94, 1; XI, 36, 5.

16) De commodis et incommodis vinorum ratione medicinae habita agit Galen. Comment in Hipp. de morb. acut. III, 2 sqq. T. XV p. 630 sqq. et Oribas. Collect. Med. V, 6 (ex Galeno) et 7 (ex Rufo).

17) Athenae. I, 59 p. 33, a.

18) H. N. XXIII, 1, s. 24, 45.

saluberrimum liberaliter genitis Campaniae quodcunque tenuissimum vinum esse dicit, sed nominatim Varro [1]) *Falerna* commendat, *quae quanto plures annos condita haberentur, tanto, quum promerentur, fructuosiora* essent; atque Plinius [2]) proprietates virtutesque medicas Falerni vini, quod sua aetate maxime probatum fuisse ait, his explicat verbis: *Falernum corpori salubre est* in media aetate. — *Hoc non rigido potu stomacho utile, non item in calido; et in diutina tussi sorbetur merum utiliter a jejunis, item in quartanis. Nullo aeque venae excitantur, alvum sistit* [3]), *corpus alit.* Eadem fere habet Dioscorides [4]). Ὁ μὲν οὖν δοκῶν πρωτεύειν τῶν ἐν Ἰταλίᾳ οἴνων, Φάλερνος δὲ καλούμενος, παλαιωθεὶς ἄγαν εὔπεπτος [5]), σφυγμῶν ἀνακλητικός, κοιλίας στεγνωτικὸς καὶ εὐστόμαχος, κύστει ἄθετος καὶ ἀμβλυωποῦσι, καὶ πρὸς πολυποσίαν ἀνάρμοστος. Omnino ad *vires excitandas* et *confirmandas* Falerna juvare ait Cael. Aurelianus [6]) et ad corpus nutriendum Aetius [7]). In *gravedine*, ubi pituita erat tenuis naresque clausae, Amineum dabat Celsus [8]); in *syncopes* sive defectionis periculo, ex humoribus crudis orto, et in *febri*, quae inde sequi soleat, *syncopali* commendat Galenus [9]) vinum Faustianum ei, qui vinis dulcibus assuetus sit, et *senibus* validioribus, inprimis post balneum, ubi pransi sint, quippe quod utilissimum et optimum sit [10]). Idem Galenus *eclegma* sive electarium *Faustianum* remedium morbi colici ex melle Attico et ex vino Falerno parare docet [11]), aliud ex eodem praeparatum remedium ad *coli* sive intestini *dolores sedandos* Scribonius Largus [12]). Porro vinum Falernum *stomacho utile* hunc corroborat [13]) et morbo cardiaco medetur [14]), velociusque per corpus distributum *humoribus crudis concoquendis* prodest [15]), ad *succi bonitatem* multum confert [16]), vesicam afficiens *urinam* movet [17]), aptissimum

---

1) R. R. I, 65, 2.

2) H. N. XXIII, 1, s. 20, 33 et 34.

3) Amineum Corn Celsus quoque IV, 19, 2 p. 230 et 32 p. 232 ad fluxum ventris inhibendum commendat et Aetius Tetrab. I, 1, v. κριθῇ cum polenta mixtum.

4) De mat. med. V, 10, 1 p. 695; cf. et V, 11 p. 698. *Πρὸς δὲ τὴν ἐν ὑγιείᾳ χρῆσιν εὔθετοι οἱ ἀθάλασσοι, αὐστηροὶ καὶ λευκοί· διαφέρουσι δὲ τούτων οἱ Ἰταλικοί, ὡς ὁ Φάλερνος.* Quibuscum cf. Athenae. I, 59 p. 32, c.

5) Alii minus bene volunt εὔποτος vel ἄπεπτος; cf. not. 9 et 15, quae sequuntur.

6) De morb. acut II, 37, 212 p. 168. *Si vehementer corpus in solutionem disjici viderimus et ex frigido corpore vexari sine ulla febricula, dabimus mirabiliora ac firmiora vina ut Setinum ac Falernum.*

7) Tetrab. I, 2, 242.

8) IV, 2. 4 p. 192.

9) De method. XII, 4. T. X p. 831. *Οἷς μέντοι δι' ὠμοὺς χυμοὺς ὁ κίνδυνος τῆς συγκοπῆς, ὁ Φαλερῖνος ἀμείνων, — εἰς ὅσον εὐχυμότερός τέ ἐστι καὶ θερμότερος.*

10) Galen. de sanit. V, 5. T. VI p. 335. *Ἄριστος ὁ Φαυστιανὸς Φαλερῖνος τοῖς πρεσβυτέροις;* cf. et p. 338.

11) De compos. medic. sec. locos VII et X. T. XIII p. 36 p. 282 et de antid. I, 3. T. XIV p. 20.

12) XXVIII, 122. Falernum non saccatum cum cochlearibus, granis piperis albi, cochlea Africana, aliis.

13) Galen. de meth. XII, 4. T. X p. 831. *Ἅπαντες δ' οὖν Φαλερῖνοι τονοῦσι μᾶλλον τὸν στόμαχον;* quibuscum cf. Athenae. I, 48 p. 27, a. *Ὁ Καληνὸς — τοῦ Φαλερίνου εὐστομαχώτερος.*

14) Aretaeus de morb. acut 3.

15) Galen. l. l. *Ἀναδοθήσεται γὰρ αὐτῶν θᾶττον καὶ τῇ πέψει τῶν ὠμῶν χυμῶν συνεργήσει.*

16) Galen. de sanit. IV, 6. T. VI p. 275. *Εἰς εὐχυμίαν τε καὶ πέψιν — ἀγαθός*

17) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 35. *Creditum est nec prodesse — vesicae;* et ib. 22, 39. *Tenue et austerum — celerius per urinam transit;* cf. et Gell N. A. XIII, 30. 14; Athenae. I, 59 p. 32, c et Dioscorid. de mat. med. V, 10, 1. Idem nunc observavit in Campaniae vinis Renzi Topogr. della citta di Napoli (1845) p. 155.

propter firmitatem suam aliasque virtutes cum ad alia *antidota* [1], tum ad *theriacae* [2] atque *emplastri* [3] compositionem et contra *meconium* [4] sive opium. Praeterea Falernum adhibebatur in componendo *collyrio spodiaco* sive cinereo [5], quo medebantur *lippitudini* et *albo* sive *glaucomati* [6] jumentorum [7], et in *emplastro* [8], quo carnem supercrescentem coercebant. Proderat idem vinum *ad ulcera* per aestatem in sole exsiccanda [9]) et conducebat *ad loca exulcerata diluenda*, inprimis *ad sanandum herpetem* sive ulcus serpens [10]. Quin et seculo XVII. Falernum sive vinum graecum a Balthas. Brunnero in Consiliis medicorum [11] impotentiae quae dicitur procreandi remedium commendatum est.

Quodsi idem vinum, propter tot tantasque virtutes laudibus celebratum, sua quoque habet *vitia* et incommoda, id, in rerum natura positum, mirum videri non debet. *Nec in novitate*, ut ait Plinius [12], *nec in nimia vetustate corpori salubre est.* Idem *creditum est*, ut Plinius pergit, *obscuritatem visus facere*, quod Dioscorides [13] dicit ἄθετον ἀμβλυωποῦσιν, *nec prodesse nervis*; quamobrem et Massicorum *odor nervis inimicus* ab Horatio [14] significatur. Capitis quoque dolores excitat, vel natura sua, quod Galenus [15] contendit, vel ubi nimis vetustum bibitur, ut rectius Athenaeus [16] monet, eosque facillime affert [17], neque hominibus biliosioribus convenit [18], neque ad multum bibendum aptum est [19]. Si vero quattuor uxores Pamphili interfecit [20], ipsum veneno infectum atque omnis culpae expers id perfecit.

Jam *quod vinum*, ut Varronis [21] utar verbis, *Falerno conferam* optimo omnium? Cum aliis vinis et Italis et Graecis id compararunt. *Aequiparatur* vel *simile* dicitur

1) Galen. de antid I, 3. T. XIV p. 20. *Αἱρετέον οὖν εἰς τὰς ἀντιδότους — φύσει μονίμους· ὧν πρῶτος οὐκ εἰς τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν ἄλλην ἅπασαν ἀρετὴν ὁ Φαλερῖνός ἐστιν;* quibuscum cf. ibidem p. 27 dicta.

2) Galen. de theriac. ad Pison. 14. T. XIV p. 267 sq. et de antid. I, 5. T. XIV p. 29.

3) Galen. de medicam. sec. gen. I, 8. T. XIII p. 404 sq.

4) Galen. de simplic. medic. temper. III, 20. T. XI p. 604.

5) Corn. Celsus VI, 6, 21 p. 365 (de Amineo) et Scribon. Larg. III, 24.

6) Veget. de mulomed. II, 22 una cum melle Attico aliisque rebus.

7) Veget. l. l. ubi Amineum (austerum?) a Falerno (dulci?) distinguitur.

8) Corn. Cels. V, 19, 19 p. 265 de Amineo.

9) Galen. de compos. medic. IV, 1. T. XIII p. 659.

10) Galen. de meth. II, 3. T. XI p. 87.

11) Consil. 64 (Hal. 1617, 8).

12) H. N. XXIII, 1, s. 20, 35.

13) De mat. med. V, 10, 1. Sachs in Ampelogr. p. 426 *inimicum visus hebetudini* nominat.

14) Sat. II, 4, 53. Adde Athenae. I, 48 p. 26, c. *Ὁ δ' ὑπὲρ τοῦτον ἐκπίπτων τὸν χρόνον κεφαλαλγικός καὶ τοῦ νευρώδους καθάπτεται.*

15) De method. XII, 4. T. X p. 835. *Κεφαλαλγεῖς δὲ εἰσιν, ὅσον ἐφ' ἑαυτοῖς οἶνοι πάντες οἱ οἰνώδεις καὶ κιρροί· διὰ τοῦτο καὶ ὁ Φαλερῖνος καὶ ὁ Τμωλίτης — ἀσθενεῖ κεφαλῇ βλαβεροί.*

16) Athen. l. l. cf. not. 14.

17) Athen. I, 59 p. 33, a. *Ὁ Φαλερνίτης — πεπαλαιωμένος καὶ κεχρονικώς, φαρμακώδης ὤν, καροῖ λίαν ταχέως.*

18) Galen de aliment succis 11. T. VI p. 803. *Τοῖς χολωδεστέροις σώμασι — οὔτε Φαλερῖνος, οὔτε Τμωλίτης — ἐπιτήδειος πίνεσθαι;* quae exscripsit Oribas. collect. med. V, 6, 31.

19) Dioscor. de mat. med. V, 10, 1. *Πρὸς πολυποσίαν ἀνάρμοστος;* quamquam Horatius ejusque amici, *potores bibuli media de luce Falerni*, id satis large hauserunt; cf. Epist I, 14, 34 et 18, 91.

20) Martial. IV, 69.

21) R R I, 2.

generoso Caucino [1], Statano [2], Surrentino [3], Setino [4], Tarentino [5], Albano [6], Tmolitae [7] et Dracontio [8]; *minus* sane *conducibile* vel stomacho vel capiti quam Calenum [9] et Statanum [10] et Albanum [11], *fortius* est Statano [12], *suavius* Labicano [13], *dulcius* Albano [14], *minus vehemens* eodem et Surrentino [15] *melius*que Rhaetico [16], Aegyptiaco [17], Lesbio [18], etiam Ariusio [19]. Hendersonus [20] vinum Falernum comparat cum Xere et Madeira quae dicuntur vinis; utrumque enim ab initio esse gilvum, postea variare et nigrescere, ut Falernum; utrumque varii esse saporis, austerum, dulce, tenue et primis annis aeque fervidum ardensque, neque bene sapere nisi vetustescat; Xeren quoque diverso modo fermentari; nihilominus Madeiram similius Falerni esse sibi persuasit, quum solum Madeirae insulae cum Campano magis conveniat, itaque et vini utriusque saporem atque odorem probabiliter inter se magis consentire.

Et propter generositatem atque virtutes quas dixi vinum Falernum merito magna erat in auctoritate et nobilitate. Quare id non modo in universum dixerunt omnium Italiae vinorum et optimum [21] et suavissimum [22], sed ei etiam *locum* ordinemque suum inter reliqua vina et *pretium* constituerunt summum. Plinius [23], qui vinorum ordinem

---

1) Athenae. I. 48 p. 27, c. *Εὐγενὴς καὶ ὁ Καυκῖνος καὶ τῷ Φαλερίνῳ ἐμφερής.*

2) Athenae. I. l. p. 26, e. *Ὁ Στατανὸς — ἐμφερὴς τῷ Φαλερίνῳ.* Plin. H. N. XXIII, 1, s 21, 36 *Ab his* (Surrentinis, Albanis, Falernis) *Statana* bonitate *non longo intervallo abfuerint.*

3) Strabo V, 4, 3 p. 243. *Καὶ ὁ Συρρεντῖνος ἐνάμιλλος καθίσταται τούτοις (τῷ Φαλέρνῳ καὶ τῷ Στατανῷ καὶ Καληνῷ).* Oribas. collect. med. V, 6, 39 (ex Galeno de antid. I, 3. T. XIV p. 15). *Ὁ Συρρεντῖνος — ἐνάμιλλος κατὰ ἀρετὴν ὑπάρχων τῷ Φαλερίνῳ* h. e. viribus simile. Stat. Silv. II, 2, 5. *Surrentina prelis non invidet uva Falernis.*

4) Martial. X, 36, 5.

5) Horat. Od. II, 6, 18. *Aulon* Tarentinus (cf. Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 69 et Martial. XIII, 125) *fertili Baccho minimum Falernis invidet uvis.*

6) Horatius certe, Sat. II, 8, 16 utrumque aequiparans, Nasidienum dicentem fingit: *Albanum, Maecenas, sive Falernum te magis appositis* vinis aliis *delectat: habemus utrumque;* cf. et Dionys. Halic. Exc. Maii XX, 29; Athenae. I, 59 p. 33, a in not. 22.

7) Virgil. G. II, 98, quem sequitur Sil. It. VII, 210. Galen. de sanit. V, 5. T. VI p 335; de aliment. succis 11. T. VI p. 802; de method. XII, 4. T. X p. 835 sq. et de compos. medic sec gen. I, 8 T. XIII p 405.

8) Colum. R. R. III, 2. *Vitem — Dracontion, — quae — comparari possit generositate vini Amineae.*

9) Athenae. I. l. p. 27, a. *Ὁ Καληνὸς — τοῦ Φαλερίνου εὐστομαχώτερος.*

10) Athenae I. l. p. 26, e. *Ὁ Στατανὸς (τοῦ Φαλερίνου) κουφότερος, οὐ πληκτικός.*

11) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 35. *Albana nervis utiliora* quam Falernum. *Stomacho minus, quae sunt dulcia; austera vel Falerno utiliora.*

12) Athenae. I. l. cf. not 10.

13) Athenae. I. l. *Ὁ Λαβικανὸς ἡδὺς καὶ λιπαρὸς τῇ γεύσει, μεταξὺ Φαλερίνου καὶ Ἀλβανοῦ.*

14) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 21, 36. *Virium plus Surrentina, austeritatis Albana, vehementiae minus Falerna habent.*

15) Plin. l. l.

16) Virgil. G II, 95. *Quo te carmine dicam Rhaetica? nec cellis ideo contende Falernis*, dicta respectu patriae habito; nam Plinio auctore (XIV, 6, s 8, 67) *in Veronensi* erat *Rhaetica Falernis tantum posthabita a Virgilio*, quamquam Octavianus *maxime delectatus est Rhaetico*, ut ait Sueton. Octav. 77.

17) Galen. de antid. I, 4. T. XIV p. 25. *Τοῦ κατ' Αἴγυπτον γενομένου.*

18) Sil. It. VII, 210. *Ambrosiis Ariusia pocula succis ac Methymna ferax lacubus cessere Falernis.*

19) Virg G. II, 98, quem secutus est Sil. It. l. l.

20) Hist. of Wines p 91.

21) Strab. V, 4, 3 p. 243. *Καὶ μὴν τὸν οἶνον τὸν κράτιστον ἐντεῦθεν ἔχουσι Ῥωμαῖοι τὸν Φάλερνον.*

22) Athenae. I, 59 p. 33, a. *Τῶν δ' οἴνων χαριέστατος ὁ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἀλβανὸς καὶ ὁ Φαλερνίτης.*

23) H. N. XIV, 6, s. 8, 61 sqq.

secundum dignitatem descripsit, Caecubo sane, ut nihil de Setino [1]) Octaviani deliciis dicam, principatum [2]) olim traditum concessit et Falerno secundam [3]) tantum nobilitatem assignavit; sed quum Plinii aetate *Caecuba iam non gignerentur* [4]), *quod — interciderant et incuria coloni locique angustia* [5]),— *Surrentinum veteres maxime probavere, sequens aetas Albanum aut Falernum* [6]). Hinc factum est, ut et Martialis poeta [7]) inter XVIII genera vinorum et Galenus sophista apud Athenaeum [8]) inter XXXII genera Falerno primum tribuerent locum. Idem et in XVI generibus vinorum Italicorum, quae laudat in scriptis suis Galenus, et in VII vinis, quae recenset Diocletiani edictum, commemoratur.

Sed etiam *pretium* ei constitutum est aeque ac Setino summum [9]). Quanti constiterit Romae iam antiquissimis temporibus, Plinius [10]) docet; *P. Licinius Crassus* enim *et L. Jul. Caesar Censores anno U. c. DCLXV edixerunt, ne quis vinum Graecum Amineumque octonis aeris singula quadrantalia* [11]) — neve *unguenta* [12]) *exotica venderet.* Idem igitur erat pretium tunc et externo vino et Falerno indigenae, iisque tanquam re luxuriosa denuo interdictum est, quod partim iam antea anno DXCIII lege Fannia sumptuaria factum erat [13]). Et *diu* quidem vina *transmarina* sive externa *in auctoritate* manserunt, *quin et Falerno reperto* [14]), sed Falernum externis etiam pluris aestimatum fuisse ex eo apparet, quod *Caesar* [15]) *dictator triumphi sui coena* anno DCCVII *vini Falerni amphoras* tantum, sed *Chii cados* [16]), quorum unus amphoram cum dimidio aequat, *in convivia distribuit*, et quod Falernum in his fere semper primo loco nominatur. Falerna enim et Chia tunc vulgo apponebantur [17]); Falerni autem amphora

---

1) Id post Caecubum supererat Plinii aetate; cf. H. N. XXIII, 1, s. 21, 36.

2) Plin. l. l. *Antea Caecubo erat generositas celeberrima.*

3) Plin. l. l.

4) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 35. Nihilominus id vinum vidit Galenus (de method. XII, 4. T. X p. 834) ex nigro factum fulvum; *ὀνομάζουσι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν οὕτως παλαιωθέντα Κίκουβον* (leg. *Καίκουβον*), *ὃν οὐκ ἂν ἔτι γνωρίσαις, ἐξ ὁποίου γένους ἦν*, ut idem de aliment. succis 11. T. VI p. 805 addidit.

5) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 61.

6) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 33.

7) XIII, 108—125, ubi 108, 1 Falernum nectareum primo loco commemoratur, postea Albanum, deinde Surrentinum, tum Massica, cetera.

8) I, 48 p. 26, c. Index tamen vinorum apud Athenaeum non pro dignitate eorum, sed magis fortuito constitutus esse videtur; nihilominus singula cum ordine apud Martialem observato partim consentiunt, ut *vinum Trifolinum*, quod apud Martialem XIII, 114 et apud Athenaeum obtinet locum septimum: *Inter vina tamen septima vitis ero;* ita et prima tria, Falernum, Albanum, Surrentinum.

9) Martial. X, 36, 5. *Nec facili pretio sed quo contenta Falerni testa sit aut cellis Setia cara suis.*

10) H. N. XIV, 14, s. 16, 95.

11) Quadrantal sive amphora aequabat XLVIII cyathus ejusque pretium sextam circiter thaleri partem.

12) Plin. H. N. XIII, 3, s. 5, 24.

13) Gell. II, 24, 2. *Decretum vetus C. Fannio et M. Valerio Messala COSS. factum, in quo jubentur principes civitatis — jurare apud consules — neque vino alienigena sed patrio usuros, neque argenti in convivio plus pondo quam libras centum illaturos.*

14) Plin. H. N. XIV, 14, s. 16, 95.

15) Plin. l. l. 97.

16) Cadis enim plerumque pro mensura in vinis transmarinis utebantur: cf. Plin. l. l. 96.

17) Diod. Sic. XXXVI fragm. in Excerpt. de virt. et vit. p. 609. *Φάλερνος δὲ καὶ Χῖος — ἀνέδην ἀνηλίσκοντο — τοῦ μὲν γὰρ οἴνου τὸ κεράμιον ἐπωλεῖτο δραχμῶν ἑκατόν.*

tum centum denariis venibat, adeo pretium ejus post quadraginta annos fuit amplificatum. Et Cleopatra, ut Caesari gratificaretur, Alexandriae vinum Falernum tanquam pretiosissimum apposuisse a Lucano [1]) fingitur. Idem vinum, quum nobilissimum esset, in parte cellae vinariae interiore [2]) vel in apothecae parte superiore [3]) sive dominica [4]) condebatur, idque ducere beatis tantum divitibusque contigit [5]). Sub Caligula principe singulas vini Opimiani uncias, usura sortis in singulas amphoras centenorum nummorum statutae semissibus multiplicata, post CLX annos millenis fere sestertiis venituras fuisse docet Plinius [6]). Fundum in agro Falerno habere solis opulentioribus [7]) erat concessum. Homines quidem molles enervatique, quo tempore Martialis vixit [8]), alia vina malebant, facticia, sed apud sanos salvosque Falernum etiam postea in magna auctoritate et pretio mansit; quare solum, si unum exceperis Surrentinum, in omnibus vinorum Italorum indicibus, qui nobis supersunt apud Plinium [9]), Martialem [10]), Galenum [11]), Athenaeum [12]), Dioscoridem [13]), commemoratur et postremo in edicto Diocletiani [14]) de rebus venalibus anni CCCI, ubi sextarius italicus vini Falerini, quod pretio Picenum, Tiburtinum, Sabinum, Ammineum, Saitinum, Surrentinum aequat, ultimo loco laudati, XXX denariis aereis [15]) venit, dum sextarius vini veteris primi gustus XXIV, sequentis gustus XVI et vini rustici VIII denariis constat [16]).

Jam quum in tanto apud Romanos fuisset pretio et exigua ejus copia, in agro non magno progenita, multis ejus amatoribus in Italia vix sufficeret adeoque in omnes fere terras peregrinas exportaretur [17]), saepius accidit ut *Falernum vitiaretur* aliudque suppositicium pro genuino venderetur. Etenim iam Plinii [18]) aetate *eo venere mores, ut nomina modo cellarum venirent statimque in lacubus vindemiae adulterarentur*. Et quod Plinius de vinis adulterinis in universum dixit, id in Falerno factum esse indicat

---

1) X, 160. *Gemmaeque capaces excepere merum — indomitum — Falernum.*

2) Horat. Od. II, 3, 8. *Seu te per dies festos reclinatum bearis interiore nota Falerni.*

3) Horat. Od. III, 21, 7. *Pia testa, — Massicum servans, — descende.*

4) Cf. supra p. 47.

5) Horat. Od. I, 20, 10. *Mea nec Falernae temperant vites neque Formiani pocula colles;* cf. et III, 1, 43.

6) H. N. XIV, 4, s. 6, 56.

7) Horat. Ep. 4, 13. *Arat Falerni mille fundi jugera.*

8) III, 77, 8. *Resinata bibis vina, Falerna fugis.*

9) H. N. XIV, 6, s. 8, 59 sqq.

10) XIII, 108—125.

11) Variis locis; cf. inprimis Tom. VI p. 275 et T. X p. 831 sqq.

12) I, 48 p. 26, c.

13) De mat. med. V, 10, 1.

14) Cap. II apud Zell. Delect. Inscr. Rom. T. I p. 316 et apud Th. Mommsen in Verhandl. d. sächs. Gesellsch. 1851 p. 9.

15) *Quales Valeriani et Gallieni tempore cudi coeperunt, quatuor assaria valentes, qui viceni quaterni denarium argenteum aequiparabant.* Zell. l. l. p. 312. Secundum Mommsen l. l. p. 56 is denarius tunc aequabat paene grossum; sed res dubia est.

16) Pretium idem in edicto Diocletiani modio castrensis avenae vel speltae et perdici est constitutum.

17) Galen. de antid. I, 14. T. XIV p. 77.

18) H. N. XXIII, 1, s. 20, 33. Qua de adulteratione vinorum multa habet Pallad. R. R. XI, 14.

Horatius, apud quem [1]) homo *vafer*, ut meliora redderet, *Surrentina — miscet faece* [2]) *Falerna vina* et, ut mixta eliquaret, *columbino limum bene colligit ovo* sive liquore albo ovi, quod hodieque fit. Falerna pessime vitiata fuisse docet et Martialis [3]) hoc epigrammate: *Quid te, Tucca, juvat vetulo miscere Falerno in Vaticanis condita musta cadis? quid tantum fecere boni tibi pessima vina? aut quid fecerunt optima vina mali? — scelus est jugulare Falernum et dare Campano toxica saeva mero.* Vaticana enim vina, in agro prope Romam nata, vilissima erant [4]). Idem fiebat et Galeni [5]) aetate, qui Falernum adulterinum in tabernis vulgo venisse ait. Sed et ipsa Falerna, non mixta, corrumpi poterant, quum male curabantur; sic Horatio [6]) auctore *Massica* in defaecando — *integrum perdunt lino* sive sacco *vitiata saporem.*

Usum Falerni quod attinet in victu cultuque non modo ad bibendum sed etiam ad coquendum, ad lautitias epularum parandas adhibebatur. Ita apud Horatium [7]) gulo quidam coquum, *ne gallina malum responset dura palato*, docet *vivam misto mersare* et coquere *Falerno; hoc* enim *teneram facere*; ita et apud Martialem [8]) *coquus — addidit arcano mixta Falerna garo*, ut sapor liquaminis jucundior esset.

Mustum Falernum [9]) sive Amineum in conditura ex cydoniis adhibebant [10]), non facile bibebant, sed *vinum liquidum* neque tamen id ante aetatem certam. Vinum Falernum, ut Athenaeus [11]) dicit, a decimo anno erat potulentum, sed plerumque a quinto decimo ad vicesimum [12]) usque potabatur; nimis novum vetustiusque nocebat [13]). Hinc dicitur *vetulum* [14]), *vetus* [15]), *annosum* [16]). Quamquam vero nimis vetustum non erat salubre neque jucundum [17]), tamen, quanto majori erat aetate, tanto pluris aestimatum

---

1) Sat. II, 4, 55.

2) Quomodo id fiat, indicat Columell. R. R. XII, 30.

3) I, 19.

4) Cf. Martial. VI. 92, 1; X. 45, 5.

5) De antid. l. l. *Καὶ κατὰ τὸν οἶνον δὲ τὸν Φαλερῖνον ὅμοιόν τι συμβέβηκεν· ἐν μικρῷ γάρ τινι χωρίῳ τῆς Ἰταλίας ὀλίγος γεννώμενος ὡς δῆθεν αὐτὸς ἐκεῖνος ὢν εἰς ἅπασαν τὴν ὑπὸ Ῥωμαίοις γῆν εἰσκομίζεται, σκευαζομένων δ' ἄλλων οἴνων εἰς ὁμοίαν πανουργίαν ὑπὸ τῶν περὶ ταῦτα δεινῶν;* et ibid. p. 79. *Τοσοῦτο διαφέρων ὅσον ὁ Φαλερῖνος οἶνος τοῦ πιπρασκομένου κατὰ τὰ καπηλεῖα;* cf. et ibid. I, 4. T. XIV p. 25.

6) Sat. II, 4, 53.

7) l. l. 18.

8) VII, 27, 8.

9) Martial. XIII, 120. *De Spoletinis quae sunt cariosa lagenis malueris, quam si musta Falerna bibas*, ubi res indicatur, quae fieri possit; Prudent. in Symmach. I, 127. *Bacchus — mustoque Falerno perfundens bijugum rorantia terga ferarum.*

10) Colum. R. R. XII, 41, 2.

11) I. 48 p. 26 c; cf. et Plin. in not. 13.

12) Inde explicandum est, quod Cicero apud Macrobium (Sat. II, 3, 2) de Falerno XL annorum dixit; cf. supra p. 53.

13) Plin. H. N. XXIII, 1, s. 20, 34. *Falernum nec in novitate, nec in nimia vetustate corpori salubre est. Media ejus aetas a quinto decimo anno incipit.* Ceterum hoc nonnisi de vino meraco est intelligendum; cf. et Cicer. in not. 17.

14) *Massicum* Horat. Od. I, 1, 19; *Falernum* Sat. II, 3, 115.

15) Catull. 27, 1; Martial. I, 19, 1; XI, 26, 3 et Macrob. Sat. VII, 12, 9.

16) Martial. VI, 27, 5. Idem XI, 50. 7 *amphoram nigri Falerni* dicit *cariosam.*

17) Cic. Brut. 83, 287. *Si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat: atqui eae notae sunt optimae, credo, sed nimia vetustas nec habet eam quam quaerimus suavitatem, nec est jam sane tolerabilis;*

ostentandi causa in conviviis epulisque apponebatur, quod a Trimalchione luxuriosissimo homine factum esse videmus, qui non modo ipse, ut ait Petronius [1], vinis Falernis Opimianis CC annorum se obruit, sed etiam convivas, *gustatione* [2] *mirifica initiatos, vino — Falerno inundavit.* Quae sane sunt ficta, sed mores aetatis declarant; praeterea constat Catullum [3], Horatium [4], Tibullum [5], Martialem [6], alios vetere Falerno libenter se proluisse.

Utebantur autem Falerno vel meraco, vel diluto, vel medicato. *Meracum* sive *merum* vel in medicamentis adhibebant, *non saccatum* [7], ut omnes haberet vires suas faecemque medicam, vel in conviviis, si animus alacrius laetiusque exultaret [8], atque in comissationibus, ubi juvenes vinosi et ebriosi *indomitum* potabant [9]. *Dilutum Falernum* [10] sive aqua mixtum vulgo bibebant homines frugi [11] idque vinum fere semper est intelligendum, ubi de Falerni potione est sermo. Quemadmodum enim vinorum austeritatem coquendo et fumigando mitigabant, ita vires ardoremque eorum aqua admixta vel sacco frangebant [12] et castrabant. Miscendi autem modus suam habebat legem, sed ea pro lubitu usi alii aliter miscebant. Sequebantur in miscendo rationem assis, qui duodenas habet uncias, ita ut cyathi singuli singulis unciis responderent variaeque vini et aquae partes numerum duodenarium semper aequarent. Inde explicandum, quod in vini emptione, ut in edicto Diocletiani de rebus venalibus factum est, pro mensura utebantur sextario, quippe qui duodenos contineret cyathos, ita ut miscendi ratio facile computari posset. Plerumque vero ternos cyathos vini cum novenis aquae miscebant, ut patet ex Horatii [13] loco, ubi tres cyathi commendantur, et ex Martiale [14], ubi puer quadrantem Falerni, tres cyathos continentem, in miscendo duplicare jubetur. Etenim vulgarem miscendi modum cum alio commutabant, quum mos vel urbanitas id suadebat, inprimis quum salutem alicujus propinabant; tum enim, aetate certe Martialis, in more erat, ut

---

num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? minime, sed quandam sequatur aetatem.

1) Sat. c. 55. *Da nobis vina Falerna, puer;* de Falerno Opimiano cf. supra p. 49.

2) Petron. Sat. c. 21.

3) 27, 1.

4) Od. I, 1, 19.

5) II, 1, 27.

6) XI, 26, 3.

7) Scribon. XXVIII, 122. Vinum enim saccatum minus forte erat; *utilissimum* contra, Plinio auctore (XXIII, 1, s. 24, 45), *omnibus sacco viribus fractis.* Huc pertinent et Horatii verba Sat. II, 4, 54. *Massica — integrum perdunt lino vitiata saporem,* non colo.

8) Catull. 27, 2. Adde quae Catullus ibidem vs. 5 habet: *At vos, quo lubet, hinc abite lymphae, vini perniciés, et ad severos migrate: hic merus est Thyonianus.*

9) Pers. III, 3. *Stertimus indomitum quod despumare Falernum sufficiat;* sic et Lucan. X, 163.

10) Martial. I, 107, 1. *Interponis aquam subinde, Rufe, et si cogeris a sodale raram diluti bibis unciam Falerni.*

11) Ita Horat. Od. II, 11, 18. *Quis puer ocius restinguet ardentis Falerni pocula praetereunte lympha?*

12) Plin. H. N. XIV, 22, s. 28, 138.

13) Od. III, 19, 11. *Tribus aut novem miscentur cyathis pocula commodis. Qui Musas amat impares ternos ter cyathos attonitus petet vates; tres prohibet supra rixarum metuens tangere Gratia nudis juncta sororibus.*

14) X, 94, 1. *Addere quid cessas, puer, immortale Falernum? quadrantem duplica de seniore cado.*

tot cyathos vini infunderent, quot literas nomen haberet [1]) ejus, quem propinando celebrabant. Unciam Falerni cum deunce aquae mixtam, sed ea de re cavillatus Rufum, commemorat Martialis [2]), idem trientem Falerni mixtum cum besse aquae [3]), quincuncem cum septunce [4]), semissem vini cum sex cyathis aquae in honorem *Caesaris* [5]) Domitiani, bessem Falerni cum quadrante aquae in honorem *Proculi* [6]) et dextantem ejusdem vini cum sextante aquae in honorem *Germanici* [7]). Homines autem delicatioris palati ad vires Falerni frangendas pro aqua utebantur nivibus [8]) in sacco vel glacie in poculis et vinum, quod dicebatur, castrabant.

Sed erat in usu et *medicatum Falernum* sive mixtum compositumque vel cum aliis vinis, vel cum condimentis. Cum *aliis vinis* miscebatur Falernum, vel ut ipsum melius saperet [9]), austeritate ejus per dulcedinem aliorum temperata, ita cum vino Chio [10]) et fortasse cum Thasio [11]), vel ut alia vina meliorem ab eo acciperent saporem, quod factum esse Horatius [12]) indicat. In *condimentis* autem commemorantur *unguenta*, myrrha et nardum et mel, quae *perfusa mero spumant Falerno* [13]); inde vina parabantur myrrhina [14]) et nardina, jam a Plauto [15]) et Fabio Dosseno [16]) laudata. Inprimis vero melle utebantur ad condiendum, quod dicebant, *mulsum*, potionem jucundissimam; etenim Plinio auctore [17]) *semper mulsum ex vetere vino utilissimum facillimeque cum melle concorporatur, quod in dulci nunquam evenit*; *ex austero factum non implet stomachum.* Mel igitur cum Falerno vetere et austero miscere solebant, ut Horatius [18]) et Martialis [19])

1) Martial. I, 72, 3. *Naevia sex cyathis, septem Justina bibatur, quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus; omnis ab infuso numeretur amica Falerno.*

2) I, 107, 2; cf. antea not. 10.

3) Martial. V, 64, 1. *Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni.*

4) Martial. XI, 36, 7. *Immortale Falernum funde; — quincunces et sex cyathos bessemque bibamus, Caius ut fiat, Julius et Proculus.*

5) Martial. IX, 94, 1, cf. antea not. 14; adde eundem XI, 36, 7 in nota 4.

6) Martial, XI, 36, 7 in nota 4.

7) Martial. XIV, 170. *Haec illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus vera dedit; decies adde Falerna, puer.*

8) Martial. V, 64, 2. *Duos infunde Falerni; tu super aestivas, Alcime, solve nives;* IX, 23, 8. *Et faciant nigras nostra Falerna nives.* Idem testatur Lat. Pacat. Paneg. 141. *Delicati illi ac fluentes reipublicae — parum se lautos putabant, — nisi aestiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent.*

9) Martial. X, 66, 6. *Qua sapient melius mixta Falerna manu?*

10) Horat. S. I, 10. 24. *Suavior, ut Chio nota si commixta Falerno est;* Tibull. II, 1, 27. *Nunc mihi fumosos veteris proferte Falernos consulis et Chio solvite vincla cado;* cf. et Horat. S. II, 3, 115. Propterea et Caesar Falernum et Chium in convivia distribuit, ut Plin. H. N. XIV, 15, s. 17, 97 narrat.

11) Plin. H. N. XIV, 14, s. 16, 95. *Quin Thasii vini dena promam, bina Falerni [dolia],* ex Lachmanni conjectura; cf. Addenda ad p. 2.

12) Od. I, 20, 10. *Mea nec Falernae temperant vites neque Formiani pocula colles.*

13) Juven. VI, 307.

14) Martial. XIV, 113. *Si calidum potas ardenti myrrha Falerno convenit et melior fit sapor inde mero.*

15) Mil. III, 2, 11.

16) Apud Plin. H. N. XIV, 13, s. 15, 92.

17) H. N. XXII, 24, s. 53, 113.

18) Sat. II, 2, 15. *Nisi Hymettia mella Falerno ne biberis diluta;* 4, 24. *Aufidius forti miscebat mella Falerno.*

19) IV, 13, 4. *Miscentur Massica Thesei tam bene vina favis;* XIII, 108, 1. *Attica nectareum turbatis mella Falernum; misceri decet hoc a Ganymede merum.* Quomodo mulsum sit miscendum, docent Pallad. Rutil. XI, 17 et Geopon. VIII, 25.

testantur; *unde*, quod ait Macrobius [1]), *est et illud proverbium, quo utuntur gulones: mulsum, quod probe temperes, miscendum esse* [2]) *novo Hymettio et vetulo Falerno.* Quod mulsum a Romanis partim in prandio [3]), partim in ea parte coenae apponebatur, quae *gustus* sive *promulsis* dicebatur. Ejusmodi *mulsum*, ut videtur, ex Falerno mixtum, *et crustum L. Papio L. F. Fal*erno L. Papius quidam legavit [4]).

Falerno autem *diluto* sive aqua mixto utebantur Romani vel solus quisque in secessu, vel cum aliis hospitaliter conjuncti, sive in conviviis privatis sive in dapibus publicis. Singuli, ingenio indulgentes, Falernum bibebant atque animum exhilarabant, quod et Catullum [5]) et Horatium [6]) lubentes fecisse constat, vel, ut Lygdamus [7]), curas et moerorem depellebant; alii, quod signum erat luxuriae morumque corruptorum, aetate certe Petronii in balneis statim post lavationem id bibebant [8]), quod proprie senibus tantum erat concessum [9]), adeoque iatroliptis sive balneorum unctoribus [10]) bibendum dabant. Alii Falernum hauriendo dies festos [11]) celebrabant v. c. reditum amici [12]) vel sacrum ambarvale [13]). Tum apponi solebat in coena opima in honorem sodalium [14]), vel in conviviis privatis, quando salutem amicorum [15]) aut puellarum [16]) propinabant. In publicis autem conviviis Caesar primus Falernum apposuit, quem morem et alii post eum servabant; *dictator* enim, Plinio auctore [17]), *triumphi sui coena* [18]) *vini Falerni amphoras, Chii cados in convivia distribuit. Idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit, epulo vero in tertio consulatu suo Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, quo primum tempore quatuor genera vini apposita constat.*

Vini Falerni usus, quamquam cura eius iam Plinii aetate exolescere [19]) coeperat, compluria per secula duravit mansitque. Commemoratur post Plinium a poeta latino

---

1) Sat. VII, 12, 9; cf. Mercurial. Var. Lect. II, 17.

2) Quibus in verbis glyconeos cum logaoedico conjunctos inesse primus Meinekius cognovit, post eum Fleckeisen in Caton. poes. reliq. p. 12 not. mutato v. *esse* in *est* defendit.

3) Cic. pro Cluent. 60, 166.

4) Mommsen Inscript. Neap. nr. 4021.

5) 27, 1.

6) Od. I, 1, 19 de se: *Est qui nec veteris pocula Massici — spernit, nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae;* et Ep. I, 14, 34, ubi se *bibulum liquidi de media luce Falerni* dicit.

7) Tibull. III, 6, 6, ubi poeta pincernam adhortatur: *Tu nobis prona funde Falerna manu.*

8) Martial. XII, 70, 5. *Frangendos calices effundendumque Falernum clamabat, biberet qui modo lotus eques.*

9) Cf. supra p. 55 not. 10.

10) Petron. Sat. 28, ubi in conspectu Trimalchionis Falernum potasse finguntur.

11) Horat. Od. II, 3, 6. *Seu te in remoto — gramine per dies festos reclinatum bearis interiore nota Falerni;* cf. et Propert. IV, 6, 73.

12) Horat. Od. II, 7, 21. *Oblivioso levia Massico ciboria exple.*

13) Tibull. II, 1, 27.

14) Horat. III, 21, 5 amphoram alloquens: *Quocunque lectum nomine Massicum servas, moveri digna bono die, descende.*

15) Cf. supra p. 62 not. 1—7.

16) Horat. I, 27, 9. *Vultis severi me quoque sumere partem Falerni? dicat Opuntiae frater Megillae, quo beatus vulnere, qua pereat sagitta.*

17) Plin. H. N. XIV, 15, s. 17, 97.

18) Cf. Vellei. II, 56. *Epuli per multos dies dati celebratione replevit eam* urbem.

19) Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62.

anonymo, qui sub Lucio Vero Aelii filio floruit [1]), saepius a Claudio Galeno, qui Falernum ipse Romae gustavit [2]), a Cael. Aureliano medicamenti loco [3]), a Plutarcho [4]) et in edicto [5]) Diocletiani (CCCI), ubi pretium ejus constituitur. Postea seculo quarto p. Ch. n., ubi imperii sedes Constantinopolin translata est, una cum usu etiam cultura Falerni neglecta atque memoria ejus obliterata est. Etenim qui post Diocletianum laudant Falernum, ii non ipsi experti, sed aliorum verbis edocti id fecisse videntur, ut more poetarum Aurelius Prudentius [6]) et Ausonius [7]), qui Amineum pro Falerno substituens Horatium sine dubio imitatus est, vel ut rhetor Latinus Pacatus [8]), homines delicatos reipublicae veteris de Falerno vituperans, et Sidonius Apollinaris [9]) in narratione de Damoclis luxuria, et mythographus anonymus prior [10]), qui Falernum cum alio vino aperte commutavit. Neque apud Palladium ejus fit mentio, qui sua Columellae plerumque debet, neque apud Cassiodorum seculi VI, qui de vinis Italiae agit [11]). Quod quum in Italia accidisset, multo minus mirandum est, si graeci scriptores de Falerno nihil monent. Oribasius [12]) quidem, qui Juliani imperatoris erat medicus, et Aetius Amidenus, medicus seculi VI, Falernum commemorant, sed hoc quoque, ut alia, Galeno debentes. Geoponici pro Falerno, quod exspectares, nominant vinum *Amineum* [13]) vel *Italicum* [14]), inde a seculo secundo, ut videtur [15]), ita dictum, neque Hippiatrici id in medicamentis afferunt, sed pro eo vinum vetus [16]). Scriptores vero latini posterioris aetatis hic illic Falernum quidem laudant, sed nullus eorum ita, ut ipsum hausisse videatur, Crescon. Corippus [17]), qui Justinum imperatorem facit carpentem *munera Bacchi, quae vitreo flagrabant plena Falerno,* Tribonianus [18]) in fragmento Labeonis, Gregorius Turonensis [19]) seculi VI, Isidorus Hispalensis [20]) seculi VII, Paulus Diaconus [21]) et Angilbertus [22]) seculi VIII, Monachus

1) Anno CLXVII p. Ch. n.; cf. Anthol. Lat. III, 29, 10 (nr. 890 Meyer).

2) De dignosc. puls. I, 1 p. 774.

3) De morb. acut. II, 37.

4) De tuend. sanit. c. 7.

5) Cap. II.

6) Cathem. 9, 28 de miraculo Christi: *Cantharis infusa lympha fit Falernum nobile.*

7) Epist. 18, 32. *Cecropiae commune decus Latiaeque Camenae, solus qui Chium miscet et Amminеum,* quae conferas cum Horat. Sat. I, 10, 23. *At sermo lingua concinnus utraque suavior, ut Chio nota si commixta Falerno.*

8) Paneg. 14, 1.

9) Epist. II, 13.

10) III, 12, 3 p. 244 Bod.

11) Var. Ep. XII, 4 p. 390, ubi vinum Italiae Acinaticum multis laudibus effert, quod jam Ulpianus laudat in Digest. XXXIII, 6, 9.

12) V, 6 p. 346 et Aetius in Tetrabibl. I, 2, 242 et 252.

13) Geopon. IV, 3, 1.

14) Geopon. VIII, 22, 1.

15) Cf. supra p. 41 not. 6.

16) Hippiat. p. 49.

17) De laudib. Justin. III, 97 sq.

18) Digest. XXXIII, 1, 17, 1 ex Posterioribus Labeonis: *Vini Falerni, quod domi nasceretur, quotannis in annos singulos binos culeos heres meus Attio dato.*

19) De mirac. II, 35, ubi Falerna miraculo S. Juliani Martyris in aedibus sacris nata, et porrecta, et hausta fuisse dicuntur; et de glor. confess. 84, ubi Valerius episcopus sepulcrum suum Falerno redundante indicasse fertur.

20) Orig. XX, 3, 6.

21) Epist. ad Desiderium regem

22) Carm. de Carol. M. III, 323. *Inde jubet mensis donare Falerna;* et 528. *Aurea namque tument per mensas vasa Falerno.*

S. Gallensis [1]) seculi X, Gislebertus [2]) monachus Autissiodorensis seculi XI, Vincentius Bellovacensis [3]) seculi XIII. Unde vero Publ. Vegetius [4]), qui Hippiatrica maximam partem latine convertit, usum et nomen vini Falerni repetierit, quod in Hippiatricis non legitur, nos latet.

Vinum *Massicum*, quod ex monte Massico prope Carinolam ad agrum Equanae urbis (Aequensis vici?) delatum fuisset, seculo XVI apud Italos *Massaquanum* nominatum fuisse speciosius, quam ut probari possit, B. de Falco [5]) contendit. Idem dicit *Falerna esse vina, quorum dulces vites in S. Severini solo insertae producant S. Severini vinum, in tam magno pretio Romae habitum ac vinum Amineum a Virgilio celebratum.* Car. Stephanus [6]) autem ait maximam Falerni copiam Romae inveniri, quod vulgo *mangia guerra* nuncupetur. Alii [7]) vinum *Falernum* existimabant esse, quod vulgo dicitur *graecum*, sed recte Baccius hoc inter Neapolim et Surrentum gigni monuit [8]). Eodem seculo XVI Aloysius Caraffa, Falernae regionis Dux, *Falerni agri ac suorum vinorum gloriam ad antiquum illum cultum*, Baccio teste [9]), *revocare studuit;* sed quod ille *heroico animo* appetierat, non assecutus esse videtur; certe ex eo, quod Franciscus Redius [10]), poeta Italus seculi XVII, Falernum simpliciter in aliis vinis commemorat, id colligi non potest. In monte tamen Massico seculis XVI—XVIII vinum, dulcedine et suavitate nobilissimum, fuisse genitum, quod vel prope Carinolam natum inde *Fastignanum* sive *Carinolense* dictum sit, vel in loco, ubi nunc est *Falciano*, atque in Rocca sive ad Roccam Mondragonis ortum, quod ab incolis *vino Razzese* [11]) sit nuncupatum, testantur de Falco [12]), Sachs [13]), Harduinus [14]) et Pratillius [15]). *Amineum vinum* etiam seculo priore ad montem Pausilypi natum fuisse ferunt [16]). Postea tamen vina Falernae regionis, cultura ab incolis neglecta, bonitatem suam atque nobilitatem exuerunt, quod iam Breislacius seculo nostro ineunte observaverat [17]), ita ut nihil de praestantia

---

1) Gest. Carol. M. I, 22. Commemorat quidem *Falernum fortius*, sed utrum genuinum ita appellet an Rhenanum, merito dubitatur

2) In vita S. Romani Abbatis II, 11 p. 95, ubi Josephus quidam assiduo Falerni potu letale virus hausisse fertur.

3) Specul. nat. XV, 110 et 125 ex Dioscoride et Isidoro.

4) De mulomed. II, 22.

5) Antiq. Neapol. in Graevii Thesaur. Ital. IX P. I p. 1.

6) In Vineto p. 70, b. Id vinum in vallibus Vesuvii nasci fertur; ab aliis dicitur *Verracia*.

7) Apud Rhodigin. Lection. XXVIII, 39.

8) De nat. vin. hist. V p. 210. Sachs in Ampelogr. p. 428 rem ita explicat, ut vinum graecum in locum Massici et Falerni seculo XV successisse dicat.

9) l. l. p. 209.

10) In dithyrambo, qui inscribitur *Bacco in Toscana*, Opere T. I p. 22. *Altri beva il Falerno, altri la Tolfa* etc., quem locum Dr. *Eberto*, discipulo olim carissimo, debemus.

11) Ab aliis ita dicitur vinum Ligusticum.

12) l. l. p. 2; cf. supra p. 30 not. 6.

13) Ampelogr. p. 126, qui vinum optimum in Mondragone nasci et (p. 430) Amineum fere solum ex antiquis superesse suave, odoratum, coloris aurei dicit.

14) Ad Plin. H. N. XIV, 6, s. 8, 62, qui *Falciano* nominat.

15) De via Appia p. 238. Hanc sententiam falsam esse supra p. 17 not 13 demonstravi.

16) *C. G. Ludovici* Kaufmannslexicon T. V p. 769.

17) Voyag. physiq. T. I p. 111 (p. 86). *Au Falerne | ont succédé les vins de Mondragone, qui nés*

Falerni sive Massici recentis unquam scriptum sit, neque ipsum magni aestimaretur [1]). Quam rem et alii scriptores confirmant, Petit-Radel [2]), A. Julien [3]), Zuccagni-Orlandini [4]) et amicus quidam, qui agrum Falernum ante duodecim circiter annos visebat et vinum ibi natum his describit verbis: Mein Vetturin wusch in S. Agata die Pferde damit, was immer etwas gewagt war; mir selbst, nachdem ich einige Schlucke davon in klassischer Hast hinunter gestürzt hatte, kam es vor, als ob mir ein Stachelschwein rückwärts den Hals hinunter gekrochen wäre [5]). Nihilominus tempore novissimo, ubi vitium culturae vinorumque curae etiam in Italia acrius studium et diligentiam majorem impendunt, optima vina in agro Falerno gigni videntur. Ut nihil dicam de vino Neapolitano rufo, quod sane gulonibus pro Falerno venditatur [6]), vinum illud tenue et asperum, quod inde *Asprino* dicitur, Falerni veteris simile, iam seculo priore cultum [7]), nunc arte vineatica ita generosum est redditum, ut cum Falerno vetere comparari possit [8]); nascitur autem in planis Campaniae locis leve, acidulum, spumans, sed nonnisi unum per annum durans. Aliud vini Campani genus, quod *Falernum* proprie dictum Neapoli in taberna vinaria Anton. Gaetani nunc venditur [9]), ex dono viri benignissimi et liberalissimi acceptum, ipse hausi libensque duxi. Me rogante *Kolbius* noster, vir disciplina chemica eruditissimus, elementa ejus, quantum per exiguam vini copiam

---

sur les mêmes collines ont conservé sur tous ceux de cette contrée la supériorité, qu'ils avaient jadis sous leurs antiques noms. Le Mondragone toute fois justifie peu les grands éloges donnés au Falerne. L'art de faire les vins aura sans doute autant perdu dans les pays, que tant d'autres arts.

1) Blainville Reisebesch. d. Ital. von Köhler Vol. III. P. 1 p. 494.

2) Voyage en Italie T. II p. 566. *Nous ne trouvâmes point dignes de leur renommée ces vins de Formie et de Falerne, dont Horace fait tant d'éloges;* et p. 568. *Le Cécube et le Falerne, qui ont bien dégénéré de leur première qualité, quelle qu'en soit la cause.*

3) Topographie de tous les vignobles (Paris 1832) p. 388. *La Campanie, dont les Romains tiraient leurs célèbres vins de Falerne et de Massique, contient beaucoup de vignes hautes, qui n'ont plus la même reputation.* Quem locum et qui sequuntur Zuccagni-Orlandini, Marnitzi, Baldini et Martensii suppeditavit *Heusingerus* collega doctissimus et humanissimus.

4) Corogr. dell' Ital. T. XI Suppl. p. 403.

5) Similia sibi accidisse dicit Hendersonus et qui librum ejus excerpsit in Blatt. f. lit. Unterhalt. 1824 nr. 197 not.

6) Marnitz in libro inscripto: Die Delicatess-Wein-etc. Kunde p. 129. *Falerner, ein neapolitanischer, hochrother, dicker, süsser und feuriger Wein, von den Ufern des Bajischen Meerbusens.*

7) Ph. Baldini Ricerche sulla costituz del clima di Napoli (1787) p. 102. *L'asprino, che nasce in Terra di Lavoro, rende un aspro e debole sapore. Questo vino con difficoltà dura sino all' està; ma se si mantiene, suol essere allora piu gustoso e salubre.*

8) A. Julien Topographie etc. (1832) l. l. *On cite cependant avec éloge le vin blanc, que l'on fait dans quelques endroits; il mousse, comme le champagne, quand on le mit en bouteilles en temps convenable; il est d'un goût agréable et moins lourd que ne le sont les autres vins; une légère âpreté, qui le characterise, l'a fait nommer asprino dans les pays.* G. v. Martens Italien (1844) T. II p. 194. *An einigen Orten der Campagna felice findet man den Asprino, einen angenehmen, leichten, moussirenden, weissen Wein.* Cf. et Renzi in Topograf. d. città di Napoli 1845 p. 155.

9) Falerno bianco di Antonio Gaetano e Giuseppe Scala a Napoli, Vico Concezione di Toledo Nr. 42.

licebat, diligenter perscrutatus est et in centenis partibus ternas denas [1]) alcoholis, sacchari autem singulas cum dimidio invenit. A vetere quidem Falerno diversum, est albi, qui in subviridem transit, coloris, viribus tenue, linguam in modum vini Gallo-Campanici leniter adstringens, neque tamen spumans, saporis jucundi et omnino ita obliviosum, ut non modo curarum sollicitudinumque, sed etiam veteris Falerni et Massici non gravatus oblivisci possis.

---

1) Auctore *Brande* apud Hendersonum l. l. p. 363 sq. vinum Gallo-Campanicum alcoholis partes habet 12,61 pond. spec. (0,825) sive 11,84 pond. absol. (cf. Annal. d. Chem. u. Pharmac. T. XXXVII p. 126), et Madeira 22,27, et Malmsey Madeira 16,40; auctore *Christisono* apud Knappium in Chem. Technol. T. II p. 295 Madeira habet partes alcoholis 14,09 vel 16,90 pond. abs. et Xeres 16,9; cf. supra p. 57.



Addenda et corrigenda.

Pag. 2. not. 2. Adde Dioscorid. de mat. med. V, 10 p. 695.

ib. not. 3. Adde Plutarch. de tuend. sanit. 7, ubi est Φαλλερῖνος.

ib. not. 7. lin. 10. Adde *nec* ante v. *Lachmann*. Lachmannus enim, breviorem genitivi formam *i* pro *ii* in adjectivis admittendam recte negans, optime correxit: *Quin Thasii vini dena promam, bina Falerni dolia*, quam conjecturam probavit Ribbeck in Comic. Lat. reliq. p. 98 nr. V, repudiata J. Bekkeri opinione, qui hexametrum Lucilii in illis verbis invenisse sibi visus erat; cf. Philolog. IV p. 86 sqq. Ipse supra l. l. volebam *Quina Thasii vini promam* etc.

p. 7. not. 5. lin. 5. *Falernus mons* commemoratur et a Schol. Pers. III, 3.

p. 9. not. 4. Easdem thermas significat M. Pompeius junior in epigrammate graeco vs. 9 (cf. Jacobs Anthol. gr. Paralip. T. III P. 3 p. 755), ex quo apparet haud procul ab iis fuisse Veneris templum, quod Eone Drusi liberta exstruxerat.

p. 15. lin. 10. *Ager Sinuessanus* graece dicitur et Σινοεσσαῖος, Σινοεσσηνός apud Stephanum Byzantinum et Σινοητίς in epigrammate graeco; cf. Paralip. apud Jacobs l. l.

p. 16. lin. 7. *Petrinum*. Alexander ab Alexandro Genial. Dier. II, 1 narrat Syncerum Sannazarium Neapolitanum ex Petrino suo olentia poma et ficus siccas Sinuessanas cum rosaceo, quae ipse appellaverit Petrinia, accepisse.

p. 20. lin. 1. *Campus Stellatis* dicitur a Livio IX, 44, 5 *agri Campani* esse.

p. 25. lin. 4. Lege *condito* pro *conditae*.

p. 34. lin. 22. *Sinuessae* Rusticus quoque praeceptor M. Antonini philosophi habitavit; cf. Antonin. I, 7.

ib. not. 2. Torrentes vulcanii, qui in tabula geographica indicari non poterant, a vertice Roccae Monfinae juxta rivum *di Rota* in plana ad viam usque publicam decurrunt, ita ut singula brachia Pratonem et Rotam versus, alia Savonem versus porrigantur.

. 38. not. 2. Adde Vollst. Wörterb. d. class. Graecit. von Rost v. Ἀμιναία.

p. 39. lin. 1. Dele v. *duplex* et in not. 2 lege: *quod* geminum *non erat*.

p. 43. lin. 4. Adde *Duracinum* a duris acinis.

ib. lin. 5. Ita ὁ Καυκῖνος οἶνος dicitur εὐγενής ab Athenaeo I, 48 p. 27, c. Hesychius s. v. Εὐγίνιος, εὐγενής· καὶ εἶδος ἀμπέλου. Εὐγενής enim vinitores, linguae graecae ignari, male intellectum pro nomine proprio habuerant et inde *Eugeneum* atque ex analogiae lege *Amineum*, quocum *Achilleus*, *Pythagoreus* etc. comparari possunt, quasi ab Ἀμείνης vel Ἀμεῖνας formarunt.

Index.

Numeri soli paginas, numeri cum n. addito notas significant.



REGIO FALERNA.
Millia passuum Romanorum.
Millia passuum quibus Itali nunc utuntur.
CALENUS
FOROPOPU-
LIENSIS
Via Latina
Capua antiqua
S.ta Maria di Capua
Capua nova
Casilinum
Forum
Popilii
S. Clemente
Petrinum ?
Mondragone
Via Appia
Sinuessa
Rocca di Mondragone
Castel pagano
Fiume Volturno
Monte Massico
Rivo della Travata



Google